

בשהקבר
DISSERTATIO INAUGURALIS THEOLOGICA
DE ZHTHMATI

AN
ΑΝΘΡΩΠΟΠΑΘΕΙΑΙ
SINT VESTIGIA
GENTILISMI

CUJUS NEGATIVAM
JOH. contra CLERICUM
BENEVOLO VENERABILIS THEOLOG. ORDINIS INDULTU
PRÆSIDE

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO
IRO MAXIME REVER. AMPLISSIMO ac EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANN. NICOL.
QVISTORPIO,

SS. TH. D. ac PROF. P. UNDIQV Aq; CELEBER. AD ÆDEM
NICOL. PAST. MERITISSIMO, MINIST. ROST. SUPERINT.
VIGILANTISSIMO, ET h. t. FCTIS SUE DECANO
SUMME SPECTABILI,

FAUTORE ac PROMOTORE SUO, NUNQVAM
NON SUSPICIENDO,

PRO RITE IMPETRANDIS SUMMIS IN THEOLOGIA HO-
NORIBUS, PRIVILEGIISQVE DOCTORALBIUS,
AO. MDCCX. DIE IIX. APR. HORIS ANTE & POST MERI-
DIEM CONSVETIS,

IN ACROATERIO MAXIMO
PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ EXAMINANDAM EXHIBET

HERM: CHRISTOPH. Engelden.

PHIL. M. SS. THEOL. CAND. ET AD ÆDEM JOH. PASTOR.

diss. A Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGH, SER. PR. & ACAD. Typ.

a. XCVI. 8.

SPLENDIDISSIMO COLLEGIO SENATORIO
ROSTOCHIENSI.
VIRIS

Magnificis, Pranobilissimis, Consultissimis, Prudentissimis DNN,

DNN. CONSULIBUS,

Eminentissimis, gravissimis,

DNN. SYNDICO,

fulgidissimo, dexterrimo,

DNN. SENATORIBUS,

Præstantissimis, Spectatissimis,

ALMÆ VARNIACÆ COMPATRONIS MUNIFICENTISSIMIS,

PATRIBUS PATRIÆ EXOPTATISSIMIS,

Civitatis nostræ florentissimæ Sideribus illustribus, justitiæ Amatoribus,
ac Promotoribus certissimis,

Rei & publicæ & literariæ fulcris incomparabilibus,

PATRONIS, MOECENATIBUS ATQ; EVERGETIS SUIS

ÆTERNUM SUSPICIENDIS, DEVENERANDIS,

Vota devota, submissionem perennantem, officia promptissima ex in-
timis præcordiorum thalamis dicat,

insimul præsens specimen inaugurale, in debitam pro variè collata

gratiâ gratitudinem, ulteriorem studiorum suorum com-

mendationem, & intallibilem devinctissimi animi

tesseram consecrat,

preces quoque pro perpetuo Tanti Consessus flore calidissimas,

ad æternum Numen fufas, nunquam non para-

tissimas spondet, pollicetur

Collegii Vestri pretiosissimi

Cultor observantissimus

HERM. CHRISTOPH. Engelsten.



ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



Artinum V. Pontificem Maximum, à Florentinis sequenti maetatum dicterio accepimus ex Bzovio ad An. 1424. n. 16. Papa Martino Signore de Piombino, Conte di Urbino, non vale un lupino, ha! ha! ha! Braccio nostro padre valente, rompe ogni gente ha! ha! ha! id quod sequenti lemmate germanico exprimere gestit Zieglerus im Schau-Platz der Zeit/ p. m. 163. b. Pabst Merten ist keinen Creis her wehrt! Subit mentem meam faceti huius

judicii tenor, ubi in ingeniosos ingenii foetus ingenii dirigo aciem. Certè varia in publicum evolant scripta, quæ æterna potius nocte, quam momentanea luce digna sunt, digna inquam, quibus commodum applices lemma: *Non valent obulum!* Alia thesauros quidem eruditionis, sed socias infimul scorias complectuntur, non nisi attentam subactumve exposcentia Lectorem. Posteriori classi accenseri merentur admiranda profundæ sapientiæ monumenta, quibus sempiternam sui memoriam feram ad posteritatem transmittit famigeratissimus IOH. CLERICUS. Obit is munia Professoris Philosophiæ & Ebrææ Lingvæ in Remonstrantium, quod Amstelodami viget, seminario. Socinianarum tamen hypothesium amore flagrare diu cordatis rerum æstimatoribus visus est, adeò ut Joh. van der Waeyen in *Dissert. de λόγῳ*, præmissa Stephani Rittangelii *Libra veritatis*, p. 17. ingenuè ingeminare haud vereatur: *Socini confutationem cum pollicentem viderens* (Clericum *impensè miratus sum*, licet Noster hanc à se suspicionem amoliri velis contendat remisque, his usus verbi in *Bibliothèque choisie Tom. III. p. 395: je déclare d'abord, que je ne suis point des sentimens particuliers des Sociniens, & principalement sur la divinité, & sur le sacrifice de Jesus Christ, qui sont les deux grands points, que l'on censure dans leur Theologie. je n'ai jamais soutenu leurs opinions, ni ne les ai favorisées.* Enim verò vartorum portentorum doctissimum Clericum existere parentem, nemo non animadvertit, cum jamdiu quampluribus tussim noverit atque gravi denem. Lucem aspexerunt an. 1676. *Nostri Epistola Theologica*, quibus fictum præfixerat nomen *Liberii de S. Amore*. vid. *Placcii Theatr. Pseudonymorum* num. 1574. p. m. 418. sq. sed justam incurrunt censuram Dn. Ernesti

❁ 2 ❁

51

*nesti Sal. Cypriani in Diss. cui tit. Animadversiones ad Liberii de Sta-
 Amore Epistolas Theologicas.* alium adhuc partum enixus est Clericus an.
 1684.5 latens sub velamine Critobuli, Hierapolitani, Epistolam nempe late-
 nam de Emendationibus sacrorum Codicum. vid. Placc. l. c. n. 753. p. 04. b.
 Haud multo post an. nempe 1685. concinnavit, fama publica ita ferente, opu-
 sculum, cui tit. *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande sur l'histoi-
 re Critique du vieux Testament*, composée par le Pere Richard. Simon,
 conf. Placc. l. c. n. 344. p. 113. a. Sed Lipsienses in Actis an. 1686. p. 432.
 monere sustinent, censuras istas cautè esse legendas, cordatig, Theologi
 Examen omnino promereri. Cum autem Prior Bollevillanus, i. e. Richar-
 dus Simon, hæc animadversiones sub incudem revocare satageret in Tr.
Response au Livre intitulé: Sentimens des quelques Theologiens an. 1686. vid.
Act. Erud. an 1686. p. 439. sq. iterum Clericus Simoni eodem adhuc an-
 no opposuit scriptam sub rubro: *defense des Sentimens de quelques Theo-
 giens de Hollande.* vid. *Act. Erud. an. 1687. p. 363.* & Placcium l. c. n.
 1377. p. 364. a. At enim verò summè injurii tam perversus Simon, quam
 quoque professor ejus Antagonista, Clericus, in inspirationem Scripturæ Si-
 mediatam, eapropter ritè vapulant D. Joh. Henr. Majo dissert. I. de inspi-
 ratione librorum sacrorum §. 3. p. m. 6. Evigilarunt quoque, ignita hæc
 Clerici tela masculè retundentes, H. Witsius *Miscellan. s. libr. I. Cap. 32.*
 §. 7. p. 328. nec non C. G. de la Mothe in *de inspiratione librorum S. N. T.*
Tractatu, aliique. Conf. *Waeyen l. c. p. 3.* Memorato pariter anno 1686.
 przlo exire cœpit *Bibliothèque Universelle & historique*, haud interrupta
 annorum ferie continuata usque ad annum 1693, & XXV. Tomis constans. Vul-
 gatissimo prius rumore Bibliothecæ istius Autor habitus fuit Noster. Progressu
 tamen temporis compertum fuit, præter Clericum huic labori quoque insudasse
 Joh. Conrad. de la Crose, imò alios quoque in conficiendo Tom. XIII. manus
 junxisse focias. Quia vero memoratis Autoribus virgula interdum censoria
 uti collibuit, hinc varios experti sunt adversarios, Puffendorffium, Capel-
 lum, Harduinum, Richardum Simonem. vid. Placcii *Theatrum Ano-
 nymorum num. 2508. p. m. 619.* & DD. Burch. Gohelff. *Struvii Intro-
 duct. ad notitiam rei literariae Cap. VI. §. 46. p. 301. sq.* Postmodum
 an. 1691. elegantem planè operam impendit Noster in emendandis nazvis *Lexicæ
 Moreriani.* Titulus libri ita habet: *Le grand Dictionnaire historique ou le
 melange curieux de l'histoire sacrée & profane par Mz. Louis Moreri.*
 Sizième edition, ou l'on a mis le supplément dans le meme ordre alpha-
 betig, corrigé un tres grand nombre de fautes, ajouté quantité d'articles
 & de remarques importantes. vid. Placc. *Theatr. Anonym. n. 2575 p. 635.*
Struv.

Servv. l. c. Cap. 8. §. 22. p. m. 420. Porro an. 1695. orbi erudito Clericū
 exposuit *Tractat. sub tit. XIX. prima Commata Capitis primi Evangelii*
St. Johannis, Paraphrasi & animadversionibus illustrata. At quia No-
 ster l. c. pag. 22. vocabuli *λόγος*, quo Johannes Servatorem nostrum infi-
 gnire gestit, originem ex scholā Platonis repetit, hinc audaces ejusdem in-
 sultus reprimere studuerunt *Joh. van der Waeyen in diss. de λόγῳ, pramis-*
sa Rittangelii Libræ veritatis pag. 32. sqq. Witsius Miscell. s. Tom. II.
Exerc. III. pag. 88. sqq., Rector Acad. Lipsiensis in programmat. an. 1704.
 publicato, quo contra Clericum demonstratur, *ἵς λόγος* appellationem
 non è Platone desumptam, sed à Spiritu S. dictatam esse, recensenti-
 bus *Hamburgens. in Novis Liter. an. 1704. p. 68., Deylingius Observat.*
S. P. I. Observ. 33. p. 188. sqq. Adde Elia Benoist. Dissertationes 3. in prio-
res 18. primi Capituli Evangelii secundum Johannem, versiculos. Impri-
 mis annus 1696. valde ferax fuit fructuum diligentiz, quos Noster protu-
 lit. Hic enim parturivit *Tr. de l' incredulité. Sed Lipsienses Act. an. 1696.*
pag. 283. subjicere haud verentur: Nos id dissimulare neququam possumus,
 multa subinde in hocce libro occurrere, quæ digna sunt, ut diligentius à
 viris piis & cordatis discutiantur, ut taceamus, Autorem placitis religio-
 nis, cui addictus est, subinde inseruire. Hic peperit *Commentarium in*
Pentateuchum, licet *Genesis* jam seorsim an. 1693. in scenam prodierat, mo-
 nente ipso Clerico *Bibliothèque choisie Tom. XVI. p. 61.* Præmisit operi tres
Dissertationes Philologicas, quarum prima agit de *Lingua Ebraica*, 2da
 de *optimo genere Interpretum scripturæ*, 3tia de *Scriptore Pentateuchi, Mose.*
 Enim verò ipsæ hæc dissertationes atram variis moverunt bilem. De *PRIMA*
 differam sub finem *ωγαυδία*. *SECUNDÆ*, quæ inopiam *Lingvæ Ebraicæ*
 præter meritum causatur, opposuit *M. Paulus Berger Diss. de literatura*
Ebraicæ copia & ubertate, Witteb. an. 1700. TERTIÆ, alios præter *Mo-*
sen, Pentateuchi Autores effingenti, opponendi sunt *Witsius Miscell. P. I.*
pag. 101. sqq. Kidderus in Dissert. de Autore Pentateuchi. Junge Fratris
 mei amantiss. *D. Henr. Ascan. Engelcken Dissert. de sententiis in scri-*
pturam S. injuriis §. 15. pag. 35. sqq. Prodiit etiam contra Nostrum *Seb. Ed-*
zardi vaticinium Jacobi Patriarchæ à depravatione Joh. Clerici assertum
Hamb. 1697. Commentum pariter Clerici, quo uxor Lothi in statuam salis
 conversa negatur, eruditè perstrinxit *Witsius Miscell. S. P. II. Exerc. VII.*
pag. 186. sqq. Dicitum *Genes. XLIX. 10.* contra virus Critici temerarii sar-
 sum tectum *Preside B. D. Neumanno*, conservavit *M. Paulus Bergerus*
 in *Disp. cæi tit. Schilo Princeps pacis 40. 1704.* Nec minus *Max. Rey. DD.*
Weidnerus

Weidnerus duabus contra Clericum infurrexit Dissertationibus; alterâ de voce *רשית*, alterâ de voce *כרם*. Quoad miraculum transitus Israelitarum per mare rubrum, Clerici audaciam notavit *M. Joh. Ludolph. Strumpfius* in *Disp. de Divisione rubri maris miraculosa*, Giess. an. 1708, & *Marckius* *Exercit. Exeget. VI. §. 16. pag. 118. seqq.*, sicuti idem miraculum non detritorum in deserto vestimentorum vindicatum ivit. *l. c. §. I. p. 88. seqq.* Scriptum quoque contra *Nostri* de *Angelo increato* *Ψευδεργημάτων* pollicitus est *Mart. Jac. Oovmannus* *Tr. de Lotione Manuum Judais usitata* pag. 195. Sexcentos alios sicco prætereo pede. Dicto modò an. 1696 *ὄντωνύμων* publico dedit *Clericus* *Reflexions sur ce, que l'on appelle Bonheur, & Malheur, en matiere de Lotteries, & sur le bon usage, qu'on en peut faire.* vid. *Placc. Theatr. Anonym. num. 2580. p. 636. b.* Eodem tempore *Noster* sub larva *Philareti*, evulgavit *Ethleam*, duobus libris comprehensam, quam multis nominibus commendatissimam nuncupat *Struvius* in *Biblioth. phil. p. 114.* Pedem promoveo ad annum 1697, quo doctus hicc Criticus enixus est *Artem Criticam*, duobus absolutam voluminibus, quibus tertii loco *Voluminis* adjecit an. 1700, *Epistol. Criticas & Ecclesiasticas*. Enim vero variæ in arte hacce Critica desiderare cœperunt *Joh. Henr. Majus* in *Repetiti Examinis Historia Critica N. T., à R. Simone vulgata, Appendice ultima, cui tit. Introductio ad studium philologicum*, impr. pag. 12. seqq. nec non *M. Joh. Benj. Miculus* in aliquot contra *Artem Criticam* *Disputationibus*. *Anonymus* quoq; *Anglus* *Artem Criticam* adoriri ausus fuerat in *Libr. sub tit. a free but modest censure of some late controversial boocks*. Et licet *Clericus* *Epistola Apologetica*, (quæ est inter *Epistolas Criticas p. 335. seqq.*) suas meditationes tueri omnem moveret lapidem; *Autor* tamen *Anglus* in *Tr. Hammond and his Paraprased and Annotations on the New Testament Vindicated &c.* in subjunctis *Animadversionibus*, affirmare haud erubescit, *Clericum* in ista *Apologia* errores potius sibi objectos, auxisse, quam emendasse, imò p. 79. concludit, *Clericum* in *Arte Critica* *Socinismo* propagando insudasse. vid. *Act. Erud. an. 1700. p. 364.* *EPISTOLAS* autem *CRITICAS* doctiss. *William Cave* infestare studevit *Epistola Apologetica adversus iniquas Joh. Clerici criminationes*. vid. *Act. Erud. an. 1701. p. 68.* *Aur. der Unschuld. Nachr. an. 1702. p. 975. seqq.* *Eckardus* in *den Monatl. Auszügen. an. 1700. mens. sept. pag. 561.* Neque annum 1698. sine fœcundi ingenii documentis præterlabi passus est *Noster*. Huic enim acceptum refertur *Novum Testamentum ex versione vulgata, cum paraphrasi & annotationibus Henr. Hammondi*, quod ex *Anglica*

Anglica Lingua in latinam transtulit, suisque animadversionibus illustravit Clericus. vid. Neocor Bibliothec. Tom. III. an. 1698. pag. 498. seqq. Enim vero Anonymus in Libr. The Reverend and Learned Dr. Hammond And his paraphrase and Annotations on the new Testament vindicated &c. Hammondi contra Clerici tela suscipit patrocinium. Vid. Lips. Act. an 1700 pag. 362. seqq. Memorato anno publicam vidit lucem Clerici Compendium Historia universalis ab initio mundi ad tempora Caroli M. conf. Dn. Struvii Bibliothec. Hist. Cap. 8. pag. 216. Eodem tempore Noster emisit Cotelerii Opera Patrum, qui temporibus Apostolorum floruerunt, vera & supposititia, notulasq; aliquot adpersit, uti titulus habet. Excerpta sistant Neocorus l. c. Tom. II. p. 333. seqq. & Lips: Act. an. 1699. p. 5. In lucem quoque anno dicto evolarunt Nostri Opera philosophica, in VI. Volumina digesta, licet Ars ratiocinandi, sive Logica, separatim an. 1692., & Physica, pariter an. 1690. seorsim prodierit. Tertiz horum Operum editionis encomia persequitur ipse Clericus Bibliothec. choisie Tom. IV. pag. 140. seqq. Sed in peculiari Disputatione Logicam Clerici examini subiecit Sebast. Edzardus, Hamburg. an. 1699, quippe qui in Examine s. 3. seqq. dicam Clerico scribit nimis in thronum collocatae rationis humanae. Sequens annus 1699 protrudit Nostri Harmoniam Evangelicam, sed quae vel eapropter vapulat Autoribus der Unschuld. Nachr. an. 1701. p. 152. quod Mattheum ἀχρηστίας acculet, imò Autores des Memoires pour l'histoire Tom. I. p. 40, sequenti hocce opus iudicio mactare sustinent: Son histoire de Jesus Christ n'est quere qu'un tissu d'interpretations Calvinienes, & Socinienes, les plus forcées & les plus grossieres. Tunc quoque praelo exiit liber, cui tit. Parrhasiana, ou pensees diverses sur de matiere de Critique &c., qui à nemine non Clericum parentem agnoscere dicitur. vid. Lips. Act. an. 1699. p. 454. Sed acutum expertus est Censorem Dn. Seb. Kortholtum in Oratione inaugurali, docentibus Lubec. Nov. liter. an 1701 pag. 54, ac postmodum in Diss. de Poëtica vetere Romana, à contemptu Scriptoris Parrhasianorum vindicata. Annus 1700. orbem eruditum donavit novo Clerici labore, sub rubro: Questiones Hieronymiana, in quibus Hieronymum crasse in Hebraica literatura ignorantia contra P. Martianay convincere adlaborat. Sed P. Martianay peculiari eapropter scripto sub tit. Eruditionis Hieronymiana defensio adversus Joh. Clericum, subiecto Tom. III. opp. Hieronymi, & suam & Hieronymi famam vindicare studuit, licet Clericus iterum suis partibus non defuerit Bibliothec. choisie Tom. XVII. pag. 1. sqq. Syllabum omnium operum P. Martianay collegerunt Ham-

burg. Nov. Lit. an. 1707. pag. 146. cont. Eckardum in den *Monatl. Auszügen* an. 1700. p. 383. seqq. qvi qvoq; p. 240. mentionem injicit *Operum Erasmi*, notulis *Clerici* illustratorum. Annus 1702. curiosis exhibuit *Hesiodi* novam editionem, *Commentario Joh. Clerici* ditatam. Sed *Petr. Penavenens* *Dissertatione Critica de Chimera*, in notas *Clerici* in *Hesiodi Theogoniam*, inquisivit Berol. an. 1703. Hoc quoque tempore *Clericus* iterata vice imprimi curavit *Memoires pour l'histoire*, vid. *Dn. Struvii* *Introd. in Hist. Lit.* p. 242. sqq. Illuxerat ann. 1703. ubi nova industria *Specimina Polyhistor* noster offerre gavifus est, nempe *Tomum primum de la Bibliotheque choisie*, quæ non tam continuationem prioris operis, quod titulo *Bibliotheca universalis* superbiebat, quam novum potius institutum fuit. vid. *Struv. l. c.* p. 304. seq. Interim *Bailius* subtit. *Entretiens de Maxime & de Themiste* respondere nititur ad ea, quæ *Clericus* post reciprocata aliquoties contentionis terram *Tom. X. Bibliotheca selecta* p. 364. sqq., ipsi objecerat. Idem annus gloriatur de novo *Clerici* opere sub rubro: *Le Nouveau Testament de notre Seigneur Jesus Christ traduit sur l'original Grec, avec des Remarques, ou l'on explique le Texte, & qu'on rend raison de la version.* Συναγραφα collocati studii ipse concinnavit *Autor Biblioth. choisie Tom. II. p. 268. sqq.* Adde *Tom. III. p. 394. sqq.* Sed notas appositas *Arminianismi* placitis latas patefacere fenestras, observarunt *Autores der Unschuld. Nachr.* ann. 1703. p. 619. Sequens annus 1704. gratulatur sibi *Nic. Sansons* *Geographiam* Si, notis *Joh. Clerici* in indicem *Geographicum*, & prefatione exornatam. vid. *Act. Lips.* an. 1705. p. 555. & ipsum *Clericum* *Biblioth. choisie Tom. II. p. 305.* Anno 1706. viderunt oculi curiosorum *Clerici* Librum, cui tit. *Atlas antiquus Sacer, Ecclesiasticus, & profanus*, collectus ex tabulis *Nic. Sansonis.* Ao. 1707. Noster imprimi curavit *Eusebii Cæsariensis Onomasticon urbium & locorum sacrorum*, propriis ad auctum animadversionibus. vid. *Clerici* *Bibl. chois. Tom. 13. p. 1.* Digna hæc editio visa fuit *Collectoribus* *Nov. Lit. Hamb.* an. 1707. p. 207, quam sequenti condecorarent elogio: *In hac editione Clericus non modo notas suas passim adjecit, & plurima sphalmata Bonfreriana sustulit, sed & versionem Hieronymi, ad editionem P. Martianay in operibus Hieronymi autographum Eusebii ad codicem MSC. Bibliothecæ Regis Francia denuò exegit.* Eodem anno 1707. larvatus iterum in publicum processit *Clericus* sub involucrio *Joh. Pherponi*, excudi curans *Animadversiones in opera Augustini.* vid. *Clerici Biblioth.*

Biblioth. Choise Tom. I. p. 399. sqq. Sed quia omnem literam atque syllabam movit Clericus, ut odiolam Augustino conflet invidiam; hinc Anonymus quidam Cantabrigiæ composuit Tr. sub tit. *Defensio S. Augustini adversus Joh. Phereponi in ejus Opera animadversiones.* cont. *Bernard Nouvelles an. 1707 m. Novembr. p. 579. & Nov. Lit. Hamb. an. 1708. p. 42. An. 1708* Noster strenuam navavit operam in exclu- dendo *Commentario in Libros Historicos à Josua usq. ad Estheram*, cui re- censendo intudant ipse Clericus *Bibl. ch. Tom. XVI. p. 61. & Bernard. Nouvelles de la republique des lettres an. 1708. mois d' Aout p. 124.* Enim vero effrænam ipsius sentiendi licentiam jure deplorant *Autores der unschuld. Nachr. an. 1708. p. 633. sqq. An. 1709* avidi amatores con- spexerunt *Sulpitii Severi Opera omnia, ex recensione & cum notis Joh. Clerici, it. Hugonis Grotii Opusculum de veritate Religionis Christianæ,* cui præfixit Noster *librum unicum de eligenda inter Christianos dissen- tientes sententia.* Sed ob indifferentismi venenum in præmisso Gro- tio libro propinatum, animadversionem incurrit *Aut. der unschuld. Nachr. ann. 1708 p. 40. sqq.* Promittitur quoque in *Catalogo Autum- nali Lipsiensi an. 1709. lit. G. Thomæ Stanleji Historia Philosophica, vitas doctrinas, dicta & facta Philosophorum cujusvis sectæ complexa, ex angli- co translata, notulisque illustrata. Accessere dissertatio de Philosophiâ eclectica sive Schola Potamonis, apud Alexandrinos primum constituta, ut & Oracula Chaldaica, cum not. Joh. Clerici.* Alios fœcundi ingenii paitus sicco prætereo pede. Interim *Dn. L. Theod. Dassovius* spartam Professionis Theologicæ in Academia Kiloniensi ipsi impositam, auspica us est *Oratione inaugurali de Joh. Clerici & in Philologia Ebræa, & in Theologia erroribus.* vid. *Nova Liter. Lubecens. ann. 1699. p. 210.* Neque perperam errorum dicam à *Cel. Dassovio* scriptam esse *Polyhistori nostro*, ad oculum patet, vel ex sola prima *Dissertatione, Commentario in Pentateuchum* præfixa, quippe in qua, præter alia *Φορτικὰ ἀκέρματα*, confidenter prohtetur, *Linguam Hebraicam* non fuisse ab Abrahamo in Cananæam regionem introductam, sed ante Abrahami adventum vernaculam extitisse *Chananaeorum*; Abrahamum verò inter Jordanem & mare mediterraneum eidem addiscendæ operam posuisse. Et ne fucus monstrosæ de sit de- formitati, hinc fingit Ethnicismi quasdam reliquias, atque vestigia, quæ profanam Gentilismi originem aperte, si credere fas est, argu- ant. Provocat ad nomen *אלהים* de uno DEO in forma plu- rali

ralli

rali usurpatum, quia Phœnicii πολυθεότης opinione inquinati, & de Numinis natura male sentientes, Deos suos isto nomine designarunt. Sed profanam Clerici audaciam docta notavit censura Dn. Seb. Edzardus in *disp. Utrum Elohim à profano Chananæorum errore originem ducat.* Et ipse qualemcumque adjeci symbolam in *Disp. 2, ostendente, nullum in sanctis literis pleonasmum dari sect. 2. Class. 2. §. XV. p. 65. sqq.* Provocat pariter, quasi re bene gestâ, ad infinita ἀνθρώπων θείας exempla, quæ, si Nostrum audire placeat, nunquam in hebraum irreperissent idioma, nisi vetusti Phœnices Numen ἀνθρώπων θεός colentes, istiusmodi loquendi genere fuissent oblectati. En viva gentulismi vestigia! Sed absit felici figmentorum Magistro ad primum statim natum assurgamus. Idcirco, quid illi, ab Anthropopathis desumpto argumento, insit ponderis, curatius inspicere, & ad vivum cuncta, Summi Numinis gratia adspirante, resecare sedet animo. Faxit æternus DEUS feliciter!

THEMATA I.

JUSTAM TERMINORUM EVOLUTIONEM EXHIBENS, STATUMq; CONTROVERSIAE RITE DELINEANS.

AVolvi ante omnia operæ pretium est, quid sibi velit *Anthropopathia*. Compositam vocem hanc Græcam ex ἀνθρώπος homo & πάθεια i. e. affectio ἰπαρσις, nemo non agnoscit. Est itaque ἀνθρώπων πάθεια nil nisi *metaphora*, quæ quod creaturis, & præsertim homini proprie competit, ad Deum & res divinis per quandam similitudinem refertur, docente B. Glassio Phil. s. p. m. III 6. Insignitur hocce nomine à potiori, quo gaudet, respectu, id quod alias quoque usu venire assolet. Sicut enim Theologia denominari consuevit ab objecto potiori siue palmaria, quam cognoscendam sistit, re, etiamsi aliæ quoque res, v. g. Angeli, homo &c. à fori Theologici ambitu haud arceantur; Ita ἀνθρώπων πάθεια quoad sonum com-

comparationem Dei cum hominibus, sed quoad sensum
 comparisonem cum aliis quoque creaturis tam anima-
 tis quam inanimatis involvit. Audit alias *συνουσίας* 'αυτῶν
θεωπολογία h.e. quæ de Deo loquimur similitudine ab hominibus
 petita, nec non *συγκατάβασις*, condescensio quia, dum Numen
 altissimum in Scripturis de se, suisque proprietatibus hu-
 mano more sermones miscet, ad nos quasi descendit, &
 præceptoris instar, ad nostrum se accommodat captum.
 Unde Origenes Hom. VIII in Exod, vide, inquit, benignitatem,
 quomodo ut nos doceat, & nos perfectos faciat, ipse fragilitatem
 humanorum non recusat.

§. II. Secundum hanc figuram, (ut taceam meta-
 phoras ab aliis creaturis desumptas) Deo vendicantur,
 (1.) partes & membra humana v. g. corpus, caput, facies,
 oculi, aures, nasus, os, cervix, brachium, manus, dextra,
 digitus, cor, viscera, sinus, pedes &c. (2.) Affectus huma-
 ni, tristitia, pœnitentia, ira, ultio, odium, zelus, ubi nota,
 affectus illos, ad Deum applicatos, *μετονομαστικῶς* de effectu
 esse exponendos. vid. Kromayer. Theol. pos. P. II. p. 47. & Ra-
 vanell. Biblioth. S. Tom. 1. p. 725. a. (3.) Actiones humane, co-
 gnitio, ignorantia, recordatio, oblivio, cogitatio, sibila-
 tio, efflatio, risus, osculatio, clamor, locutio, labor, quies
 &c. (4) Adjuncta humana, v. g. impotentia faciendi, luxa-
 tio membrorum, morbi, pestis, & mors, agricolam,
 artificem, bellatorem, confiliarium &c. esse, in loco &
 tempore esse. Talia, & quæ his sunt similia, grata bre-
 vitate Gerhardus in Exeg. Loc. II. §. 117. p. 229., & ex Refor-
 matis, Polanus in Syntagmate lib. 2. cap. 35., filo verò satis
 prolixo Glassius in Philologia S, p. 1117. --- 1164. persequi
 amant. Certè ipse Clericus in laudes Glassii exspatiari
 gestit, scribens, Dissert. 1. Pentateucho præfixa §. V. : In Libris
συνουσιαστικῶν exempla subindè occurrunt, iisq; vir Do-
 ctus

Itus & diligens Sal. Glassius longissimum caput Rhetoricæ suæ sacre tribuit. Neq; à justa veritatis semita recedit Jacob. Bernard. in Nouvelles de la republiq. de lettres mois de Mai an. 1707. p. 581, blandis usus verbis: La Philologie sacrée de Glassius est si utile pour l' intelligence de l' écriture, qu' il est très difficile, de s' en passer. Elle est d' ailleurs si souvent citée par les Auteurs, qui ont écrit depuis ce savant, & ils y renvoient tant de fois, qu' on ne peut bien profiter de leurs Ouvrages, sans avoir celui-ci. Le grand nombre d' éditions, qu' on en a fait, marque assez sa nécessité. Conferri ex Patrum cohorte possunt Augustinus lib. 2. ad Simplicianum Quæst. 2, Gregor. M. Lib. 32. in Job. Cap. VI. Theodorethus in Ps. V. & X. aliiq;.

§. III. Sicuti Rabbini metaphoram suâ Lingua efferre solent *השאלה דרך* *viam accommodationis*, quâ locutio ab una re mutuò sumitur, & ad aliam accommodatur, it: *העברה דרך* *viam translationis*. quâ propria locutio ad aliam transfertur ob similitudinem quandam, it: *דרך משל* *viam parabolæ vel similitudinis*, quâ una res cum alia comparatur; Ita eleganter Anthropopathia, vel modus loquendi figuratus, ab humanis rebus desumptus, & ad Deum applicatus, Rabbini audit *דרך בני אדם* *viam filiorum hominis*, h. e. quando Scriptura de Deo, more hominibus consveto, sermones facit, item: *לשון בני אדם* *sermo filiorum hominis*, quia sacræ literæ Dei majestatem stylo mortalibus usitato, & phrasibus ab humana conditione mutuò petitis, depingere consveverunt. Et cum duo hi termini ubiq; locorum in Rabbiorum vigeant scriptis, admiratio animum meum sæpè subiit, quâ altum de iis in Buxtorffii Lexico Talmudico agatur silentium, adeò ut prolixè quamlibet, quidnam *לשון* in Rabbiorum schola significet, edocens, nullam tamen mentionem phraseos *לשון בני אדם* injiciat. Imò nescio, cur Matthias Ansgarides

garides

garides in Spicilegio Lexici Buxtorffiani, defectum huncce non
 suppleverit, licet p. 29. de voce לשון agat. Ne verò Rab-
 binorū scholas diffamasse videar, provoco ad *Autorem Libri*
Cofri P.V. §. 27. p. m. 386. Is enim sequentem in modum
 perorat: כאשר יהיה המעשה והכונה שלמים כראוי: יהיה עליהם הגמול ויהיה זה על דרך בני אדם כאלו הוא
 זכרון ודברה תורה בלשון בני אדם
Buxtorffius in latinam transfudit linguam: *Actio & in-*
tentio, quando perfecta sunt, prout oportet, demum habent re-
tributionem, per *אשר יעשה להם*, ac si essent memoriale: *nam*
loquitur lex sapè *אשר יעשה להם*. Audiamus porro, quomo-
 do *R. Sal. Ben. Melech in Michlal Jophi fol. 3. col. 3. l. 16.* *אשר יעשה*
להם circumscribat: מבנין נפעל ענין חרטה ודברה תורה כלשון בני אדם כי על דרך האמת לא
 אדם הוא להנחם כי אין בו שנוי חפץ יתברך ויתעלה
 וכן ויתעצב אל לבו גם כן דרך משל כי אין
 לפניו על דרך האמת לא שמחה ולא עצבון ולא
 ושתנה מטה למדה והפך ויתעצב ישמח יהוה
 במעשיו והכל דרך משל כי כמו שהאדם שמח
 על הדבר שוישר בעיניו ויתעצב על הדבר
 הרע בעיניו כן היה חספור על האל יתעלה והוא
 עליו דרך העברה והשמחה והעצבון באדם
 בלב לפיכך אמר דרך משל על האל יתברך אל לבו
 i. e. *vox וינחם* (*Gen: VI. 6. poenituit*) est ex conjugatione
Niphal, significans poenitentiam. Enim verò loquitur Scriptura
secundum sermonem filiorum hominis (*אשר יעשה להם*). Nam
revera (DEUS) homo non est, ut poenitentia ducatur. Nam
haudquaquam in ipso sc. DEO benedicto & Excelso deprehen-
ditur immutatio voluntatis. Et ita intelligenda sunt verba
eiusdem versus: Doluit apud animum suum, sc. pariter per
modum similitudinis, nam (Deo) in rei veritate neq. lætitia, neq.
dolor competit, neque is modo hunc modo illum affectum induit.

Contrarium quidem ויתעצב (& doluit) tenet , (id quod dicitur Psal. CIV. 31.) lætatur Dominus de operibus suis ; sed omnia illa figuratè sunt accipienda. Sicut enim homo lætatur de re , quæ ipsius animo arridet , & dolet de re , judicio ipsius mala ; ita prædicantur talia de DEO supremo , sed intelligenda veniunt via translationis (metaphoricè). Quia verò lætitia & dolor respectu hominis in animo existunt ; idcirco (Scriptura) adhibet per metaphoricum loquendi modum de DEO benedictio phrasin : (doluit) apud animum suum. Sole clarius ex allegato Rabbini discursu elucescit , illum nobiscum figuratum loquendi morem , quo sacræ paginæ divinam nobis majestatem ob oculos ponunt , agnoscere , eumque eleganti titulo : *Sermonis filiorum hominis* , insignire. Neque abludit mens *Aben Esra ad Gen. 6. Bibl. Buxtorff. fol. 8. col. 2. l. 5.* , quippe ex קטו , paucis immutatis , sapuit *Ben Melech*. Ita enim *Aben Esra* differere instituit : ירוע כי לא אדם הוא להנחם רק דברה תורה כלשון בני אדם כי המשחית מה שעשה יראה שנחם וטעם ויתעצב אל לבו הפך ישמח יהוה במעשיו כי טוב i.e. *Notum est, quod Deus non sit homo , ut pœniteat eum , veruntamen loquitur Scriptura secundum linguam filiorum hominis (h. e. per ἀνθρώπων φωνή) quoniam is , qui destruit id , quod fecerat , pœnitentia duci videtur. Interim sensui vocum : Et doluit apud animum suum , contrarium habetur (Ps. CIV. 31.) : Lætatur Dominus de operibus suis. Placet enim eidem , ut creaturæ ipsius maximam suam benignitatem experiantur. Conf. Reverendiss. Dn. D. Mayeri program. de pœnitentia Dei , præmissum Dn. D. Schröderi Disp. inaugurali. Et quoad phrasin Rabbincam junge *Brunsmanni Libr. Gratia naturæ interpret Lib. 3. Cap. 15. p. m. 160. sqq.**

§. IV. Quia ergo ἀνθρώπων φωνή tota indoles consistit

confistit in similitudine, quæ quoad antenus Deum inter,
 infinitum, ac alias creaturas finitas intercedit; utroq;
 semper oculo respiciendum erit ad *tertium*, quod vocant,
comparationis, ob quod creaturarum nominibus atque
 proprietatibus summum Numen insignitur. vid. *Glass Phil.*
S. p. III 6. Lucem affundam rei unico exemplo. Nempè
Cantic. I. 13. cœlestis animarum sponfus, Christus, saluta-
 tur *fasciculus Myrrhæ*. non quasi Christus sit *gummi* aliquod
myrrheum, una colligatum, quæ olim in pectore suspen-
 dere solebant fœminæ, sed ratione tertii comparationis.
 Nam sicut succus myrrhinus (de quo vid. *Lundii Jüdi-*
sche Heiligth. p. 150.) insigni pollet amaritudine; ita quoq;
 Christi passio amarissima extitit, & sicut myrrhæ fasci-
 culus ex gummi myrrhino confectus, appendebatur à
 fœminis, odore ejus fragrantissimo recreari cupienti-
 bus, adeò ut eundem ne noctu quidem deponerent; ita
 etiam passio Christi debet cordi nostro antiquissima, &
 quam maximè sacra esse, adeò ut nulla ætatis vicissitudo,
 nullusq; temporis decursus tam sanctam memoriam no-
 stro evellere possit animo. vid. *Dn. Theod. Dassov. Diss. 3. de*
Emphasi sacrarum vocum ex veteri historia Ebræa repetenda
Commat. 1. p. 3. sqq. Pariter summo Numini per *αὐθροπία*
πείθειας tribui librum, evincit *B. Seb. Schmidtus in de Libro Vita*
Diss. § 3. p. 7. Quodsi verò illæ res, quæ ad Deum ac-
 commodantur, imperfectionis quandam labem comple-
 ctuntur, omnem imperfectionis maculam removeas,
 necesse est. Hinc vetus juxta proverbium, *πολλὰ αὐθρο-*
ποπείθως λέγονται, ἀλλὰ θεοπρεπῶς νοῦνται, multa dicuntur hu-
 manitus, quæ intelligenda divinitus, quem vulgatissimum
 quoq; canonem inculcant *Pfeifferus in Thesaur. Hebræicæ*
Can. 110. p. 408. & *Kromayer. Theol. pos. p. II. p. 40.* Cedro di-
 gna sunt verba *Mosis Amvraldi in Dissert. de mysterio Trinitatis*

P. IV, apud *Wagenfeil. in Telis igneis satan. p. m. 168*: In omni
analogia debet esse aliquid, quod si minus absolutam simi-
 litudinem --, saltem aliquam analogiam indicet, quæ intercedat
 inter ea, quæ in homine revera sunt, & quæ in DEO perfigurantur
 illam esse dicuntur. DEI sapientia oculus appellatur, quia quemad-
 modum ille mente cognoscit, sic nos oculus cernimus. DEI virtus
 atque efficientia, manus & dextra nuncupatur, quia que-
 madmodum nos manu, sic ille virtute operatur. Solio insidere,
 & pedes in terra tanquam in scabello reponere dicitur, quia
 quemadmodum Regum majestas in throno sublimi con-
 spicitur, & potestas eorum in eo manifesta est, quod in tribu-
 nali sedentes, pedibus æquant subditorum capita, ac propemo-
 dum ea calcare videntur; sic etiam tanta est in DEO gloria,
 tantus potestatis splendor, ut non modo fulgeat in coelo sin-
 gulari in modum, sed etiam in terris, ubi minus apparet,
 omnem hominum magnitudinem; quanta quanta est, longè
 supergrediatur. *Conf. Pfeiffer. Critic: S. p. m. 152.*

§. V. Quamvis autem famigeratissima regula herme-
 neutica firmo consistat talo, sensum literæ, (sive literalem
 proprium) non nisi durissimo necessitatis telo urgente,
 deferendum esse; vid *Dispp. mearum de pleonasm. I. sect. I. §. 4. p.*
II. & ibi citatos Autores; satis tamen causæ, quæ figuratum
 loquendi modum nobis insinuat, subministratur ex ma-
 nifesta contradictione, cui nulla nisi tropica expositio me-
 deri poterat. *conf. Danhaw. Ideam Boni Interpretis §. 54. sqq.*
p. m. 91. sqq. Hermeneut. S. p. m. 259. Pfeiffer. Thesaur. Hermene-
ut. Can. 3. p. 156. Fidem dictis conciliabo immotam. Es-
 sentia DEI hac exprimi solet definitione: *Est spiritus*
independens. Genus hujus definitionis est spiritus, in quo
conceptu cum spiritibus creatis & anima humana convenit, Job
IV. 24. Spiritus autem substantia est materiae omnis & formæ
physicæ expers. Luc. XXIV. 39. Quicquid igitur DEO corporei
in

in Scriptura tribuitur, id per figuram, quæ αὐθροπία θεῶν vocatur, exaudiendum esse, ex se intelligitur, imitor linguam Magnifici nostri DN. Senioris DD. Fechtii in Noctibus Exerc. IX. §. 13. p. m. 317. Quomodo enim, amabo, spiritualitatem DEI, ex naturæ lumine notam, & scripturæ autoritate stabilitam, fartam conservabis tectamque, nisi quicquid corporei Altissimo tribuitur, per similitudinem interpreteris? Et annon, quæso, DEUS audit invisibilis 1. Tim. VI. 16. ? Nonne DEUS homo esse negatur, quem pœniteat Num. XXIII. 19. ? Nonne acrem incurrunt reprehensionem, qui gloriam DEI in imaginem corruptibilis hominis mutare ausi sunt? Rom. I. 23. sed vix hic tenuæ rationum spicilegium suppeditare licet, quarum uberrimam messem dant Dion. Petavius. Dogmat. Theol. Tom. I. libr. II. Cap. I. & II. p. 85. sqq, B. Gerhardus in Exeg. Loc. II. §. 114. p. 257. & D. Hebenstreit. Phil. prima p. 1001. Taceo argumenta ex ratione petita, quæ congeffit Dn. Gabr. Grodeck. Diss. De Spiritualitate DEI §. 8. sqq. p. 13. sqq.

§. VI. Graphicè profecto Gregorio Nazianzenus Orat. XXXIV. Tom. I. p. 540 (q. πὸτε inquit, ἠπολήψῃ τὸ θεῖον, εἴπερ ὅλας ταῖς λογικαῖς πνευεῖς ἐφόδοις ; ἢ πρὸς τί σε ὁ λόγος ἀνάξει βασιλιζόμενος, ὃ φιλοσοφώτατε σὺ καὶ θεολογώτατε, καὶ κηρυχόμενε εἰς τὰ ἄμετρα. Πότερον σῶμα, καὶ πῶς τὸ ἄπειρον καὶ ἀόρατον καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ ἀναφές, καὶ ἀόρατον, ἢ καὶ ταῦτα σώματα τῆς ἐξουσίας; ἢ ὡς αὐτῆ φύσις σωμάτων, ἢ σῶμα μὲν, ἔχει. Ταῦτα ἢ τῆς παχύτητος, ἢ ἵνα μηδὲν πλεον ἡμῶν ἔχη τὸ θεῖον. Πῶς ὡς σπινθῆρα, ἢ ὡς φλόξεται τὸ ἐκ σοιχείων συγκείμεθα, καὶ εἰς αὐτὰ πάλιν ἀναλύεσθαι, καὶ ὅπως λύεσθαι ; σὺν θεοῖς ὡς δεχθῆ μάχης. μάχη ἢ, ἀφασεως ἢ ἢ, λύσεως. λύσις ἢ ἀλλοτριον πάντα θεῶν, καὶ τῆς πρώτης φύσεως. i. e. interprete Billio : *Quid tandem Deum esse censebis, si argumentis à ratione petitis, fidem omninò habes?*

ant

aut quò tandem te subvehet hæc Disputatio, si accuratius examinetur? Te inquam appello, qui Philosophiæ ac Theologiæ principia tam tibi vendicas, atq; in immensum gloriaris. An corpus eum esse dices? Quonam ergò modo immensus, infinitus, figura expers est, ac deniq; ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? An hæc quoq; in corpora cadunt? ò licentiam! non enim hæc corporum natura est. An verò corpus quidem esse statues, immensum verò atq; infinitum, cæteraq; hujus generis esse negabis? ò crassitiem! Quâ in re Deus nos antecellet? Quid enim afferri potest, cur colatur, atq; adoretur, si circumscriptus est? aut quid causæ esse dicemus, quin ex elementis conflatus sit, atq; in eadem denuò redigatur, ac prorsus intereat? Compositio quippe pugnae initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis, solutio porrò nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit. En facundiam ponderibus imprægnatam! Agnovit quoq; spirituales Numinis essentiam, Dionysius, vulgò qui ita audit, Mystic. Theol. Cap. 2. perfectius scribens, cognoscimus Deum per negationes, quam affirmationes. Altius de Deo sentimus, cognoscentes, quod sit incomprehensibilis, & omni captu nostro superior, quam sub imagine quadam, & creata pulchritudine, eum concipientes secundum rudem nostrum intellectum. Porrò docet Bonaventura, nullam rem cogitandam esse ne quidem de ipso DEO, cum imperfectio sit, tenere formas, imagines ac species, quam etiam sint subtiles tam voluntatis, quam bonitatis, Trinitatis & unitatis, ipsius etiam essentia divina, quandoquidem omnes illæ species ac imagines, quanquam Deiformes videantur, ipse tamen non sunt Deus, qui non admittit imaginem aut formam ullam. Adplaudit Molinos Manuduct: spirit: p. 25, clariorem ajens, & perfectiorem esse DEI cognitionem, quæ fidei est pura & simplicis, quam quæ est per discursus rerum sensibilium formata, cum omnis imago corporalis & sensibilis à Deo infinite distet. vid. Autorem Der Theologischen offer- ten P. 1. in der sten offerte p. 318. sq.

§. VII.

§. VII. Spiritualitatis divinæ acerrimi quoque defensores videri volunt perversi Judæi. Hinc Onkelos pariter atque Jonathan in dextrè exponendis אֱלֹהֵינוּ דְּעֵינֵנוּS egregiam locasse operam, profitetur B. Pfeiffer: Critic. S. p. 229. Inmo tertius Judæorum fidei articulus apud Buxtorffium in Synagog. judaic. Cap. III, p. m. 12. sequenti conceptus est modo אֱלֹהֵינוּ שֵׁשׁ אֵינֵנוּ גּוֹף וְלֹא שִׁישִׁיגוּהוּ מְשִׁיגֵי הַגּוֹף וְאֵין לוֹ כֵּלל שׁוֹם דְּמִין כֵּלל i. e. Fide perfectè à credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, non esse corporeum, nec ulla ratione corporea comprehensibilem, & nihil omninò extare, quod sit illi simile. Non pœnitebit tamen observasse, quæ Princeps literaturæ Ebraicæ, Buxtorffius, subjunxit p. 24, Maimonidem, articulorum fidei tredecim judaicorum compilatorem, eo utroque collimasse oculo, ut Christianam fidem apud Judæos convelleret. Hinc pergit Buxtorffius: articuli illi, qui Deum Creatorem unum, incorporeum, & æternum asserunt, eò solum spectant, ut doctrinam Christianam de S. S. Trinitate, & Christi personam rejiciant, & condemnent, quasi nos ex Trinitate tres Deos faciamus, & Christus non sit Deus, aut Divinam in se naturam habere non possit, quod non ab æterno, sed certo demum tempore humanum corpus assumerit. Itaque rectissime quidem doctissimus Judæorum Magister, Maimonides, (cujus vitæ curriculum persecutus est Buddens in Introduct. ad historiam Philosophiæ Hebræorum p. m. 122. sqq.) articulo allegato tertio, removet à Deo מֵרַת הַגּוֹף, proprietatem corpoream, rectè quoque asseverat, quando Scriptura Deo res corporeas attribuit, illud fieri עַל דְּרַךְ הָעֵבֶרָה, hyperbolicè, & בְּלִשׁוֹן בְּנֵי אָדָם, אֱלֹהֵינוּ דְּעֵינֵנוּS, id quod pariter in More Nevochim lib. I. Cap. 53, ac in Jad chasaka P I. Tract. 1. Cap. 1. profiteri haud detrectat. Conf. Buxtorff. l. c. p. 16, Carpzov. Diss. de Articulis fidei judaic. Dissp. Acad. p. m. 485. & Hottinogerum in Appendic. Dissert. 4. fascic. Dissertat. Theol. Philolog. p. 81.

m. 343. sqq; perperam tamen inde inferre audet, Christum non gaudere divina natura, quia certo demum tempore humana vestitus est carne. Datur enim in Christo ἄλλο καὶ ἄλλο, aliud, atq; aliud, alia atq; alia natura. Hinc ratione distinctæ naturæ distinctæ quoq; proprietates Christo competere, non repugnat, & licet humana natura in Maria virgine originem sumserit, divina tamen, quæ alteram in πύσει suam assumpsit, omnis initii expers existit. Conf. B. Waltheri Diss. de Jesu ante Mariam. Idem autem quod hic Maimonidi, olim Pharisæis crucem fixit Matth. XXII. 42. sqq. Cæterum etiam faniores GENTILIUM PHILOSOPHOS Deum ἀσώματον sive corpore destitutum, credidisse ex Maximo Tyrio Dissert. I, Alcinoo Cap. X, & Sexto Empirico lib. 8, contra Dogmaticos, comprobatur Petavius Dogmat. Theol. Tom. I. lib. 2. Cap. I. §. X. XI. p. 88. sqq, licet Epicureos, Stoicos aliosq; errore de DEO corporeo infectos, introducat B. Gabr. Grodeck in Dissut. de Spiritualitate Dei §. XI. p. 19.

§. IIX. Valeant ergo veteres Ebionitæ, Sec. II. corpus DEO adscribentes, uti patet ex Homilijs Clementinis, à Cozelerio publicatis, Homil. 17. §. 7. fol. 731. sq, ubi hæc leguntur verba: μορφὴν ἔχει, ἀλλὰ πρῶτον καὶ μόνον κἀλλῶς. καὶ πάντα μέλη, ἢ ἀλλὰ χρῆσιν &c. i. e. formam enim habet (Deus) propter primam & solam pulchritudinem, pariter atq; omnia membra habet, non propter usum &c. Hinc Clericus Biblioth. choisie Tom. II. p. 64. erumpit; Il est bon de remarquer ici, que les anciens Ebionites étoient aussi Anthropomorphites, comme il paroît par l' Auteur des Clementines dans l' homilie XVII, ou il prouve au long, à sa manière, son sentiment, par l' Ecriture sainte, & par des raisonnements. Affin qu' on ne trouve pas étrange, qu' il attribue des membres à Dieu, dont il ne fait aucun usage, &c. Valeant Anthropomorphitæ, Sec. IV. heretici, Deu n.

αὐτοῦ

ἀνθρωπώμορφον. h. e. humana forma, membrisq; humanis con-
 stantem, fingentes, & ab hoc inani cerebri sui commento
 cognomentum sortiti. vid. *Socrates H.E. lib. VI. Cap. VII. So-*
zomenus lib. 8. Cap. XI., Nicephorus lib. XI. Cap. XIV, aliique,
 allegati à B. Jos. Arndio *Lexic. Antiquit. p. 480.*
 Distingvendi hi probè veniunt ab *Anthropomorphitis,*
 Planis ac Erronibus, ipsum Apostolorum ævum proximè
 attingentibus, quorum *Ignatius in Epist. ad Smyrneos* in-
 jicit mentionem. Unde iisdem memoratus hæserit ti-
 tulus, lis sub iudice est. *Stephanus le Moyne in notis ad varia*
sacra p. 409. existimat, eos ita audire, quod Christi corpus
 speciem tantum humanam referre docerent. Sed incom-
 parabilis *D. Ittigius in de Heresiarchis ævi Apostolici, Dissert. Sect.*
2. Cap. X §. VII. p. m. 190, ideò potius illos ab *Ignatio* sic sa-
 lutari, autumat, quod ij, humana induti specie, bestiis
 potius annumerari mererentur, quapropter B. Pater
 dictos Sycophantas *ἄνθρωπώμορφα*, bestias humanum
 mentientes genus, vocare prægestit. Quicquid sit, Anthro-
 pomorphitæ, Sec. IV. monstra, ab *Augustino Libr. de heres.*
Cap. 50. salutantur *Vadiani.* Ab aliis *Audiani* vel *Audaani*
 ab *Audæo*, vel *Audio*, Syro, infelici, uti communiter puta-
 tur, corporei Dei plaste, nominari assolent. Ita sentiunt
Theodorethus lib. 4. de heres. Cap. 13., Augustin. l. c., quibus
 herbam porrigunt B. *Arndius Lexic. Antiq. p. 477., Stockman-*
nus Elucid. Heres. p. 93. & plures. Equidem *Petavius*, cana-
 nixus autoritate *Epiphaniij Har. 70,* *Audii* patronū agere, af-
 ferere, quod *Audius* Deum corporis expertem statuerit,
 nullus dubitat. Vid. *Dogmata Theol. Tom. I. lib. 2. Cap. I. §. IIX. IX.*
p. 87. 88. ; Enimverò non omni criminis suspicione
Audius vel *Audaus* absolvendus, sed aliquo minimum
 modo pro Anthropomorphitarum Coriphæo agnoscen-
 dus videtur. Publicè enim, teste *Epiphanio l. c.* profiteri
 conatus

conatus est, imaginem Dei in corpore sitam esse, abusus
 pro palliando errore, effato divino: Gen. I, 26. *Faciamus ho-*
minem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram.
 Quem autem, nisi planè ignarum, latet, rudes pariter
 Monachos Ægyptiacos, quibus Anthropomorphitarum
 nomen in peculium cessit, ad idem Geneseos dictum, tan-
 quam primarium fundamentū, ac deamatum quasi pal-
 ladium provocasse, id quod suis confirmant testimoniis
Basiliius Hom. X. Hexaem, Socrates & Sozomenus ll. cc. vid.
Gerhard. in Exeg. Loc. II. §. 116. p. 258. Petav. l. c. §. X. p. 88.
 Jam, quæso, quodnam Audæum inter atque Anthro-
 morphitas intercedit differentiæ momentum? *Anthro-*
pomorphitæ Deo corpus & membra corporea vindicare in-
 deliciis habebant. Inficias id ire sustinebat Audæus, acri-
 ter tamen propugnabat, imaginem divinam in corpore
 humano consistere, illam cum Deo similitudinem in cor-
 pore conspicuam, ex pari cum Anthropomorphitis fonte,
 sc. Gen. I. 26, derivans. Ipse *Petavius l. c.* rem relinquit in
 suspenso, scribens: *Postremi commemorandi sunt Anthropo-*
morphitæ, sive ab Audio, ut pleriq; putant, oriundi; sive ex ejus
opinione stolidi errores ansam nacti, uti Deo humani corporis ac
membroꝝ speciem attribuerent. Nec est, quod ad comen-
 dam Audæi causam, edisseras, ipsos nostrates Theolo-
 gos ex imagine divina, corporis dotes, v. g. pulchritudi-
 nem, deducere, manifesto indicio, juxta illos imaginem
 Dei ex corporis elegantia elucere. Dignum enim est,
 quod audiatur, peregregium Academiae nostræ decus,
Magnif. D. D. Fechtius Noctium Christian Exerc. X. §. 49. p. 480:
Constituerunt illi (Anthropomorphitæ) similitudinem inter
Deum hominemq; primum conditum in ipsa corporeoꝝ membroꝝ
ratione, ut qualia membra gereret in cælis Deus,
talibus eundem referret in terris homo. Quæ crassa philoso-
phan.

phandiratio à Monachis cum primis Ægyptiis, hominibus illiteratis & brutis, exorta, jamdiu protrita, atq; ex ecclesia ejecta est. Quamvis autem ecclesia Doctores imaginis divinæ naturam, neq; in corpore neq; in corporis membris ponant, constituentq; ejus objectum primum atq; immediatum animam hominis, non tamen negant — effecta ac documenta quædam imaginis Dei in corpore hominis, veluti animæ instrumento, seu potius accidentibus ejus reluxisse. Hæc ille. An autem eadem mens Audæo fuerit, nempe ex amœnâ ac perpulcra corporis structura exteriori judicari quadantenus posse de imaginis divinæ, in animæ dotib; interiorib; cōsistentis, perfectione, valdè ambigo, cum alias palmarium dictum, de imagine divina agens, pro stabilienda sua sententia in subsidium vocare vix potuisset. Cæterum pestem hæreseos Anthropomorphitarum abigere studuit Theophilus, Episcopus Alexandrinus, in Epistolis Paschalibus. Cum enim monasteriis Ægypti præessent Viri quatuor, Dioscorus, Ammonius, Eusebius, & Euthimius, germani Fratres, staturaq; proceri, & ob id Fratres longicognominati, qui suam de membris DEI corporeis sententiam Origenis autoritate defendentes, moverunt Theophilum, ut non tam Anthropomorphitarum, quam Origenis condemnationem nunc vehementius, quam unquam, urgere inciperent, loquor cum B. Cass. Sagittario in *Introduct. in Hist. Eccles. p. m. 117.* Prostat quoq; Cyrilli, Patriarchæ Alexandrini Liber adversus Anthropomorphitas Græcè & Latine editus a Bonaventura Vulcanio, & post in novam Operum Cyrilli editionem Parisiensem relatus, teste Sagittar. l. c. p. 844. conf. B. Gerbard. *Patrol. p. 418.*

§. IX. Ut ut verò Seculum IVtum maximè ferax esset istiusmodi portentorum, quibus corpus membraque corporea DEO tribuebat insanum mortalium genus, utpote in quo præter memoratos Anthropomorphitas

morphitas, *Seleucus*, & *Hermias*, apud *Arndium* in *Lexic.* p. 477.
 in spiritualitatem divinam, tanquam in petram offen-
 diculi, impegerunt; nefandum tamen istud commen-
 tum sequentibus seculis quadantenus sepultum visum
 fuit, usque dum id seculo X, circa an. Christi 939. in
 Italia resurgeret, contra quos recentiores Anthropo-
 morphitas calamum dextre strinxisse *Rabherium Veronensem*,
 ex *Sigeberti Gemblac. Chronico*, allegat *B. Gerhard Exeg. Loc.*
II. §. 115. p. 258. b. Imprimis verò superiori seculo reperti fu-
 ère, qui monstrosam Anthropomorphitarum foetum eniti
 denuò laborarunt. Littus hocce appellit *Conrad. Vorstius*
Libro de DEO & attributis divinis p. 201. 239. Quamvis enim
 is vestigiis veterum Ecclesiae Patrum insistens, per cor-
 pus *substantiam solidam*, inani phantasmati oppositam, in-
 telligere cupiat, quapropter partes *Vorstu*, tecto licet
 nomine, sumere haud gravatur *Alstedius Theol. Natur. p.*
55, & rerum tamen & verborum confusionem *Vorstius*
 plenis introducit velis, iudice judiciosissimo *Gerhardo l.*
c. conf. B. Deutschmanni Theol. posit. polem. p. 43. Frigidam
 Anthropomorphitis suffundit *Joh. Crellius*, *Socinianus*,
Lib. de DEO p. 107. somnians, Spiritui omni competere cor-
 pus subtilissimum, & tale quoque DEO adscribendum
 esse. Verba ipsius allegat *D. Hebenstreit. Philos. prima p.*
105. Amicè conspirat *Thomas Hobbesius Part. I. Leviathan.*
Cap. 12. p. 56. & in Appendic. p. 344. 360, cujus copias feliciter
 debellavit *Nath. Falckius in Diss. de Spiritualitate DEI contra*
Hobbesium, & Dn. M. Staalkopf. in Diss. de oraculo Paulino Act.
XVII a detorsionibus Hobbesii & Spinoza asserto, hab. sub præ-
fid. Reverendiss. Dn. D. Mayeri. §. 8—17. p. 10. sqq. Idem
 somnium somniat maledictus *Ben. Spinoza in Ethic. Part.*
II. definit. 1, opp. p. 40, quippe qui corpus DEO tribuere haud
 erubescit. Et an mirum hoc videri potest? cum publica *Spinoza*

noza

23

nosse doctrina huc redeat, unicam substantiam dari, quae DEUS sit, hanc variè modificatam vel extensam, vel cogitantem esse, vel perfectam vel imperfectam, omnesq; adeò res nihil esse aliud, quam essentiam DEI modificatam, uti mentem ejus exponunt *Autor. der Unschuld. Nachr.* an. 1703 p. 52. Enim verò *Isaacus Jaquelotus* dans la seconde Dissertation sur l'existence de Dieu Cap. XI. p. 429. contra *Spinosam* evincit, Ens perfectissimum, (cujus existentiam *Jaquelotus* antea in tuto collocarat), non posse non esse spiritum, & p. 430. sqq. *Spinosa* DEUM vivis depingit coloribus, quam absurdè ei facies sit afficta, commonstrans. Legi quoque meretur *Christophori Wittichii Anti-Spinosa*, s. *Examen Ethices Ben. Spinosae & Commentarius de DEO ejusque attributis* p. 14. 22. sqq. Interea quam rectissimè pessimi Atheismi dica *Spinosa* scribitur à *Joh. Georg. Wachtero* in libr. cui tit: *Spinozismus im Judenthum / oder die von dem heutigen Judenthum / und dessen geheimen Cabbala vergötterte Welt in Mose Germano*, sonst *Joh. Peter Speeth*. P. III. (licet *Wachterus* postmodum in *Elucidario Cabbalístico*, frigidam suffundere impio laborarit *Spinosa*, ostendentibus *Autoribus der unschuld. Nachr.* an. 1703. p. 52. sqq.) & *Dn. M. Jac. Staalkopffio* in tribus de *Ben. Spinosae Atheismi convictio*, *Dispp.*, quarum prima contra *Autorem praefationis in Opera ejus posthuma*, secunda contra *G. Arnoldum*, tertia contra *Wachterum* militant. Ceterum vitae curriculum Athei hujus persecuti sunt *Dn. Fried. Ernest. Kettnerus* in de duobus *Impostoribus Ben. Spinosae & Balthasare Beckero* *dispp.* Cap. I., *B. Christ. Kortholtus* in *Tr. de tribus Impostoribus Magnis* sect. 3. p. m. 75. sqq. & *Filius*, *Seb. Kortholtus* in praemissa praefatione p. 5. sq., *Joh. Colerus*, Pastor Lutheranus Hagiensis, in *Appendic. Tr. de Warachtige Verzyzenis J. C.*, *Aut. der Unschuld. Nachr.* an. 1706. p. 75. sqq. *M. Gotl. Frid. Jenichen* in *Historia Spinozismi Leenbofiani*. Cap. I. p. 3.

*I. p. 3. sqq. Baiilius Dictionaire Critique Tom. II. p. 1038. sqq. ex quo sua mutuò sumit Neocorus Biblioth. Tom. III. p. 541. sqq. & plures. Perplexa Spinosæ paradoxa congefserunt Hartnaccius in Contin: H. E. Micraeli p. 2261. sqq. ac Kettnerus in diss. de religione prudentum th. 47. p. 79. sqq. Opera quoque posthuma Spinosæ ad lapidem lydium justè sunt revocata. Sic Job. Bredenburgius enervationem Tract. Theol. Politici, Job. Musæus Spinosismum, s. Tract. Theol. politicum ad veritatis lancem examinatum consignarunt. Pariter à capite ad calcem pestilentissimum hoc Spinosæ scriptum confutavit Regnerus à Mansfeld in Opere posthumo. Velthuysius an. 1680. publico exposuit opusculum de Cultu naturali, & origine moralitatis. Quadriennio post Aubertus de Versé enixus est librum sub tit: *l'impie convaincu, ou dissertation contre Spinoza, dans laquelle l'on refute les fondemens de son Atheisme.* Cl. Poiretus editioni secundæ suarum de DEO, anima & malo cogitationum, inseruit Tract. sub rubro: *Fundamenta Atheismi eversa, s. Specimen absurditatis Atheismi spinosiani.* An. 1690. prodiit Wittichii *Anti Spinoza.* Spectat huc quoque Wachterus in *Spinozismo im Judenthum* P. III. Cuperum vero in *Arcanis Atheismi revelatis*, minime seriò contra Spinosam insurrexisse, observat H. Morus Tom: I. Oper. Philos. p. 600. Spectabile adhuc agmen aliorum Spinosæ adversariorum coëgit Dn. Jenichius in *Histor. Spinozismi Leenhofiani* Cap. I p. 58. sqq. Interea Atheum modo memoratum ex fœtidis Gentilium, præsertim Stoicorum lacunis putidas hausisse aqvas, edocet DD. Buddeus in *de Spinozismo ante Spinozam* diss:; quæ comparet in *Analectis Histor. philosoph.* p. m. 310. sqq. Cæcos Spinosæ adoratores detexit Dn. M. Staalkopff. in *diss. de Spinozismo post Spinozam* Sect. I. §. VII. sqq p. 8. sqq, sicuti in specie Spinozismum in Judaismo reflorescentem decollavit Wach-
therus*

therus im Spinozismo im Judenthum P. I. & II., pariter atq;
bis coctam à Leenhofio Spinozismi crambem manifesta-
vit Dn. Jenichius l. c. Cap. II. p. 74. sqq. Nec minus Dn.
Carol. in Tr: sub. tit: A dissertation, Lockium ex libro ejus
de Intell. humano. Lib. IV. Cap. X., Spinosismi incusare audet.
Crassam Spinosaë ignorantiam exprobravit Joh. Meyerus
in Diff. quæ visiones Ezech. IX. extremis Capp. contentas non-
dum impletas esse probatur. p. 13.

§. X. Neq; Anthropomorphitarum classi eximi
penitus possunt phantastica ingenia, somniantia, uni-
versum mundum ex *essentia divina tanquam materia constare*,
vel certè ex Deo emanasse, sive *ex essentia divina pro-*
ductum esse, quemadmodum v.g. ex igne egreditur fumus,
vel ex fonte, materia calculosa referto, nascuntur lapides.
Patronum talium portentorum insanus agit Böhmius de
tribus principiis p. II. Scribens: Da Gott die Welt samt al-
len erschaffen / hat Er keine ander materie gehabt / dar-
aus Ers macht / als sein eigen wesen / als Sich selbst. Audi-
amus quocq; teterrimum Dippelium in Wegweiser zum
verlohrnen Licht und Recht C. VI. p. 142: Die Ursprüng-
liche Schöpfung der ersten Natur zur Körperlichen Fas-
sung und *Consistenz* ist aus denen ewig in Gottes We-
sen selbst gewurzelten Zweyen *Principijs* des strengen Feu-
ers / und des sanfften Lichts durch des *fiat* im Wort des
Lebens ausgegangen. Ecce! ex luce & igne, tanquam
essentia divina, omnes, juxta Dippelium, prodierunt crea-
turæ. Idem littus appellunt Becherus in *Psychosophia p. 21. s*
Arnoldus in der Berklärung Jesu p. 481., Joh. Georg. Zeid-
ler. in *Panto-Mysterio p. 81*, aliique, quorum nomina ac sen-
tentias longa serie pertexuit Cel. Dn. V. E. Læscherus in
Prænot. onibus Theol. p. 81. sqq., in den Unschuld. Nachrichten am

1703. p. 798. *sqq.* Lege quoque Fratris mei amantiss. D.
 D. Henr. Ascanii Engelken *Disp. ad Artic. 1. A. C. de DEO*
Sect. 3. porism. 3. p. 38. sqq. pl. Rev. DN Rumpai disp. de ima-
gine DEI quæst. 2. §. 1 p. 3. & Dn. M. Gustav. Herwech dissert.
de Athetismo fanatico, s. Bohmii Naturalismo, & Spinozismo
ex principiis & fundamentis sectæ fanaticæ matris, pietismi.
 Quæso jam, si ex essentia divina res emerferunt corporeæ,
 annon corporei quid suo sub ambitu divina involvit
 essentia? Quale verò de D. Joh. Casparo Westphalo feres judi-
 cium, qui in *Pathologia Dæmoniaca P. I. sibi concipit Deum*
igncum, essentiam suam diffundentem, per emanationem &
radiationem physicam omnia implentem, & operantem, cujus
essentialis aura dicatur Spiritus S., sitque tanquam particula
divina & tertia pars in omnibus hominibus, prouti mentem
 Viri exponunt *Aut. der Unsch. Nachr. an. 1708. p. 179.* Quid
 aliud est, corporeum excogitare Deum, si hoc non est?
 Justis proin Westphalum animadversionibus excepit B. D.
 Neumannus in *disp. de Deismo in Theosophia deprehenso §. IV.*
sqq. p. 6. sqq.

§. X. Ex veteribus Tertullianus Sec. III. Pater,
 (cujus ad Montanistas lapsum ex professo sub hoc tit:
 persecutus est D. Zentgravius) excusatur ab his, accu-
 satur ab aliis. Scribit is *Cap. VII. Libri adv. Praxeam:*
Quis negabit, Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est? Qui
excusantium partes obeunt, per corpus stylo Tertulliani
veram substantiam denotari prætexunt. Inclinat huc
 Petavius *Dogmat. Theol. Lib. 2. cap. 1. §. V. p. 87, Hebenstreit.*
Phil. prim. p. 1014. & quem in frontispicio locare debuissim,
 Magnus noster DL. Fechtius *Coll. Thet. Anti thetic. MSC. Cap.*
III. §. XXIV. Qui accusantium lateri accedunt, supponere
 amant, Melitonem DEO aliquid corporei tribuisse, quia
 librum

librum compilavit *μετ' οὐρανῶν*, colligentes inde; Melitonis æstimium *Tertulliani* præcordiis geminum fortè de DEO corporeo figmentum inspirasse. Hinc *Cel. DD. Ittigius de Hæres. ævi Apostol. Sect. 2. cap. XI. §. V. p. m. 197. sq.* Cum Melitonem, inquit, tanti fecerit *Tertullianus*, ut eum juxta *Hieronimum* *Propheta* instar habuerit, hinc ipsum de DEO corporeo errorem ex *Melitone* haurire potuit. Recentius *Pontificii*, *vatiniano* Lutherum nostrum odio prosequentes, dicendis non dicendisqve eum proscindunt convitiis, hæresin Anthropomorphitarum *Megalandro* absqve fronte imputantes. Sedulam in condemnando justo operam navavit *Forerus in Symbol. Lutheran. p. 10, & in Manual. P. I. Cap. 4. p. 53.* Dicam tamen iniquam domum remisit *D. Nicolai in Symbol. Lutheran. vindicato Sect. I. cap. 8. p. 53. conf. Fratris mei D. Engelcken disp. ad Artic. I. A. C. de DEO sect. I. p. 9.*

§. XII. *Samuelem* quoq; *Bohlium* à nonnullis, imprimis *B. Cothmanno in Corollar. quodam Anthropomorphitarum* agmini adjungi animadvertes, eò quod *Comment. in Cap. XVII. Es. p. 237. & in Proverb. Salom. 1. 3.*, voces Ebræas, quæ Deo manus, pedes &c. vendicant, absq; ulla metaphorâ accipiendas esse, imò easdem primariò DEO, secundariò saltem creaturis competere, velis contendit remisq;. Enim verò subnititur totum *Bohlij* negotium, inventa ipsius hypothesei de *formali, abstractiva, ac generali vocum Ebraicarum significatione*, vi cujus e. g. עין formaliter non oculus, sed adhabitationem, ac in Deo nihil aliud quam *Præsentiam DEI*, denotare, זרוע non brachium, sed robur, seu exertorium roboris, indigitare, docuit, uti cuilibet ad oculos patebit ex *Bohlij Tract. de ijs, quæ Deo propriè imò propriissimè competunt p. 3. 10. 22.* Licet itaq; memorate

ratae Bohlianæ hypothesi, utpotè nonnunquam valde precariae, per omnia album adjicere calculum detrectemus, probè conscii, eandem arietibus quasi fortissimis dudum concussam esse à B. Hulsemann. *Prælect. in F.C. artic. II. Cap. 4 §. 6. B. Joh. Musæotribus contra Bohlium Exercitationibus*, B. Danhaw. in *Hodos. p. m. 207. sq.* Magnif. Dn. D. Fechtio nostro *Thes. Polem. VI. Philocal. p. 50. & in Noctibus Christianus p. m. 365. B. Schomero Colleg. Controv. p. 27.*; cave tamen eapropter mortuo insurgere leoni, defendereq; eundem pedibus in nefandam Anthropomorphitarum sententiam ivisse. vid. Summè Rever. D. D. Grapu *Theol. Controv. Cap. I. quæst. XI. Evangelisches Nestock p. 414. sq.*

§. XIII. Enim verò ex aviis tandem regiam in viam secedamus necesse est. Spatiosum hætenus emensum sumus campum, differendo de figurato loqvendi genere, quod ἀνθρωπομορφία nuncupari assolet, digrediendo ad æronum, Deo ἄσσωμάτω vel humana membra, vel corpus quoddam affricantium, castra. Jam id vexatæ instar quæstionis nos inter atq; Clericum ventilatur: *An tales ἀνθρωπομορφίαι Gentilismi sint vestigia?*

§. XIV. Rem totam, ut feliciter intelligi queat, ab ovo, quod ajunt, exordiar. Evocabat scilicet benignissimum Numen Abramum, hætenus detestando idolorum cultui deditum *Jos. XXIV. 3, ex Ur Chaldæorum in terram Canaan Gen. XII. 1*, certò pollicitus, in ipso (h. e. in femine ipsius, nempe Messia, *Gen. XXII. 18, Gal. III. 16.*), benedictum iri omnes familias terræ *Gen. XII. 3*. Dicto divino Pater fidelium vacivas præbens aures, cum amantissima uxore, perdilecto fratris Filio, Lotho, reliquâqve familia petebat regionem Canaan, v 4.5., eamq; ex mandato divino totam peragrabat, *ut videret, quanta & qualis terra esset promissa*

promissa, iudice D. Seb. Schmidio in *Comment. ad h. l. p. m. 129.* peragrabat eam, inquam, usq; ad locum Schechemi, & usq; ad planitiem Moreh. v. 6. Addit Spiritus S., tunc temporis à Cananitis terram habitatam fuisse, v. eod. Anxiè si sciscitaris, cui fini notabilis istiusmodi inserviat clausula, avido tuo desiderio satisfaciet B. Schmidius l. c. p. 129. 130, observans, significari, quod olim Cananeus ibi non fuerit, tanquam in terra assignata & propria, sed justis possessoribus eam eripuerit. Nempè electæ Semi posteritati Deus regionem hanc, à malæ fidei dominatoribus, Canaanis nepotibus, Cananæ nomine insignitam, propriæ loco hæreditatis assignarat. Sed sicuti protervi Cananite omnia iustitiæ repagula perumpere didicerant; ita justis sedibus Semitas exturbare, patrium eorum solum suam sub potestatem redigere nulli dubitabant, quapropter Judæi, talionis usi jure, violentos hosce invasores gravissimis exceperunt pœnis. Quando itaq; Gen. XII. 6. Cananitæ jam Abramæ ævo Cananæam tenuisse dicuntur, indice indigitatur digito, jam illis temporibus terram promissam à crudelissimis hostibus occupatam, expugnatam fuisse. ὁμοψήφως advoco testes Pezronum *Journal de Trevoux an. 1704. Tom. VIII. p. 15. sqq.*, Autores *der Unschuld. Nachr. an. 1706. p. 212. sqq.* & ex parte Dn. Herm. ab Hardt in *Ephemerid. Philol. discurs. VI. p. 87. sq* Ecce! Abram bonis avibus ingreditur terram Canaan, posteritati suæ, benigna Numinis aura adspirante, restituendam. Sed quânam putas lingvâ tunc temporis animi sui sensa expressisse Cananitas? Certè hic latitat nodus gordius, quem non solvere sed dirimere audent Clericus, pro aris quasi atqve focis pugnans, lingvâ Ebraicam tempore adventus Abrahamici Cananæis extitisse vernaculam, eamq; ut mutuo cum habitatoribus colloquio frui posset, ab Abramo, Chaldaico,

tunc idiomate utente, inter Jordanem & mare mediterraneum memoriae mandatam, imò postmodum Jure hæreditario Judæorum peculium factam esse. Et ne gratis talia dixisse videatur, in subsidium vocat Ethnicismi reliquias, vel uti ipse loqui amat, *vestigia*. Sicuti enim residua vestigia plantam produnt pedis; ita vestigia Gentilismi relicta de lingua Gentili testimonium perhibere autumat. *Conf. Præf. Diss. in fin.* Id ergò nos inter atq; Clericum ad συζήτησιν proponitur: *An metaphorica locutiones à rerum creatarum & imprimis hominum statu desumptæ, quæ αὐθροποπίθεος salutare amant, indubitato testentur de prisco Gentilium errore, quo Deos suos sub forma humana, corporeave coluerunt, ac certissima sint iudicia, Hebraicam linguam inter Gentiles olim, nempe Cananeos, tanquam maternam, floruisse? Clericus affirmativam tuetur. Nos negativæ subscribimus.*

§. XV. Ne vero Viro injuriam inferre videamur, en ! propria ipsius verba, quæ leguntur in *Prolegomenis Comment. in Pentateuchum Dissert. I. §. V: Lingua Hebraica, quæ apud Cananeos, πλυθεότης* opinione inquinatos, & de numinis natura male sentientes, floruit, & pro tempore exculta est, eorum errorum vestigia servavit plurima, etiam postquam Hebraorum, contraria sententium, vernacula facta est. Credebant Phœnices, non modo plures esse Deos, sed etiam homines in Deorum numerum retulerant, ut ostendit Eusebius *Preparat. Evang. lib. I. Cap. VI. &c.* Paucis interjectis lineis profanus pergit Criticus: *Notum est, Ebraeos ab eorum sententia, qui αὐθροποφύες Numen fingeant, summopere abhorruisse, neque unquam, si linguam suam invenissent, inconspicui atq; æterni DEI Cultores, quidquam in sermone quotidiano, priori opinioni affine protulissent, à quo videmus etiam hodie cavere plerosque, ea de causa Christianos. Verù in libris sacris αὐθροποπίθεος exempla subinde occurrunt, iisque Vir doctus & diligens, Sal Glassius, longissimum caput Rhetoricæ suæ sacræ tribuit, quod est VII. Tract. I., At sanè mentio fit DEI animæ, faciei, oculorum, aurium, nasi, oris, cervicis, brachii, manuum dextræ & si-*

& sinistra, digitorum cordis, viscerum, sinus & pedum. Neque hæc
 tantum animadvertes, sed & alia in aliis rebus etiam exempla ἀθεωτα-
 ταιδεῖας insignia passim legi. DEO ἀθεωτατῶν, sed θεοπρεπῶς
 intelligenda, tribuuntur tristitia, pœnitentia, ira, odium, Zelotypia, co-
 gnitio non eterna & semper sibi constans, sed experientia quæsitæ, recor-
 datio, oblivio, risus, clamor, labor, vita, descensus, incessus, somnium,
 vigilia, & alia plurima, quæ subtiliter persecutus est Vir eruditus, quem
 adire, si ita videatur, poterunt Lectores. Hisce tam frequentibus exemplis
 olim abutebantur ἀθεωτατοφίται, à quorum tamen erroribus semper
 remotissimierant Hebræi, qui à vicinorum idololatria immunes fuere.
 Hæc ille. Hinc quoque Noster in Comment. ad Gen XI. p. 92. verbis
 Textus: Et descendit Jehova, ut viseret, sequentia subjicit ru-
 inosæ hypothesei obstetricantia: Hæc quidem & alia θεοπρεπῶς
 dicuntur, attamen perpetua ferè Hebræica lingua ejusmodi ἀθεωτα-
 τῶν utendi consuetudo Ethnicam prodit originem, ut ostendimus in
 Diss. de Lingua Ebraea. Homines in alta specula positi non possunt subjecta
 montis radicibus satis dilucidè cernere, ideoque si ea perspecta habere
 cupiunt, è specula descendendum. Hinc ducta translatione, Deus descen-
 disse dicitur, cum ostendit re ipsa à se quidpiam, quod in terris agebatur,
 animadvertsum. Postquam autem descenderat Jehova, veluti ad nu-
 bes usque, propius rem speculaturus, inferius iterum cum Angelis, ut
 consilium disturberet, descendens inducitur v. 7. Hactenus iterum
 Clericus.

§. XVI. Neque mirum doctissimum cetera Cle-
 ricum in periculosissimas istiusmodi incidisse fyrtes. Pla-
 nè enim ad castra erronum, ritus Mosaicos ab invetera-
 tis Ægyptiorum consuetudinibus derivantium, secedit.
 Quid enim, quæso, aliud præ se ferunt luculenta satis
 verba in Comment: ad Exod. XXV. 10. p. 126. : Queritur, utrum
 Hebræorum simia fuerint Ægyptii hoc in negotio, an verò DEus sese Israë-
 litis, ei rei jam in Ægypto adsvetis, accommodarit. Posterius credit Chry-
 sostomus, quem ex homilia VI. in Mattheum laudavit vir eruditus de
 Leg. Mos. rit. Lib. 3. cap. 1. sect. 2. similiter Maimonides Doct. Dub. Lib.
 3. cap. 45: Constat homines illos (idololatrias) templa exstruxisse stellis,
 atque

atque in iis collocasse imaginem, ad quam colendam unanimiter consense-
 rant, imaginem nempe, stella vel alicui DEO consecratam. Hinc jussi
 sumus & nos templum adificare DEO benedicto, atque in eo collocare
 arcam. Prius multi maluere, nulla alia de causa, quam quia amplum
 ac magnificentum videatur populo Hebraeo, neminem imitari, exemplo esse
 aliis. Sed profecto, ut hoc solum attingam, nisi DEUS $\sigma\omega\gamma\eta\tau\alpha\iota\sigma\alpha\sigma$
 singulari legem aptasset indoli Hebraeorum, h. e. opinionibus, ac consue-
 tudinibus inter eos dudum receptis, non aliam tulisset, quam quae postea
 à Christo lata est, omissisque infirmis illis elementis ad perfectiora omnia
 Hebraeorum animos erexisset -- Cum in plurimis descenderit ad abjectos &
 humiles Israelitarum animos, propter eorum $\sigma\alpha\lambda\upsilon\sigma\eta\sigma\alpha\sigma\delta\iota\alpha\sigma$; in hac
 quoque re receptis ritibus eorum uti passus est, ut in ceteris omnibus, in
 quibus nulla naturalis honestas, nihil spiritali Numine dignum, nihil
 mortalibus proficuum deprehenditur. &c: Prælusere Johanni nostro,
 Johannes Spencerus de Urim & Thummim passim, item in de Legibus
 Hebraeorum ritualibus spisso volumine, impr. Lib. I. Sect. 4. cap.
 X. p. 267. Lib. III. praefat. p. m. 761. sqq., Joh. Marshamus in Canone
 Chronico. p. 154. sqq., ut Grotium, à Calovio, teste Schickhardo de jure
 Hebraeorum Cap. I. Theor. II. p. m. 44. notatum, silentio praetermittam.
 Enim verò Clericum acerbo sale perfricuit Joh: van der Waeyen in dis-
 sert. de $\delta\acute{o}\gamma\eta$, praemissa Rittangelii Librae veritatis, p. 7. sqq. Spencerum
 iusta excepit censura idem Waeynus in variis sacris p. 267. sqq.
 nec non Joh. Meyerus in Annotationibus in Maimonidis more Nevochim,
 & Spenceri Tract. de Legibus Hebraeorum ritualibus, reperiundis in Diatri-
 ba de Origine & causis festorum, solemniumque dierum. Marshamo satis-
 fecit eruditissimus Witsius in Aegyptiacis. Quæso te, quisquis
 es, annon mirari desinas, Clericum Gentilismi squalo-
 ribus Linguam sanctam conspergere, postquam ex pro-
 prio ipsius ore percepisti, Deum juxta vigilantis No-
 stri somnia, legum suarum ceremonialium apparatus
 à profanis gentilium moribus mutuò accepisse. Quid?
 quod memorata Viri sapientis novitas prono quasi al-
 veo defluxisse videtur ex iniquo ipsius supposito, quo

in sez

in sentimens de quelques Theologiens de Hollande sur l' Histoire Critique du vieux Testam. composée par. R. Simon p. 126 asseverare haud erubescit: Christum & Apostolos non venisse in mundum, ut Ju- daeos criticam docerent, mirum ergò non esse, si loquantur secundum opi- nionem vulgarem, id quod rectè perstringit Witsius Miscell. Tom. I. p. 115. sqq. vid. omninò Diss. meam de Praadamitismo recens incrustato Cap. 3. §. 13. p. 12. sq. Quodsi enim tremendæ sanctitati divinæ non repugnat, imitari erroneos vulgi conceptus, falsasq; rudis plebeculæ opiniones consuetari, quî vene- rabili adversaretur Numini, Cananæorum Lingvam, quamlibet gentilem, in peculium suum cooptare, hac religionis sacræ secreta pandere, & tamen rudera quæ- dam gentilismi in eâdem farta conservare, atq; more Gen- tilium *πολυθεότης* errore inquinatum, de se, ut homi- ne, membris instructo corporeis, verba facere, ? Sicci- ne enim Altissimus profano se attemperaret Ethnico- rum genio, illorumq; dicendi flosculos, parum venustos, imitaretur? Verum rapimur ad alia, visuri, num irreligi- osa Clerici cogitata firmo fulta sint tibicine. Sit itaque

THEMA II.

ANTHROPOPATHIAS PERPERAM PRO GENTILISMI VESTIGIIS AGNO- SCI, EDOCENS.

§. I. Innocuæ *ἀνθρωποπάθιας* mediis instar haud pridem habitæ sunt, quo canam sacrarum literarum majestatem, veritatem, sanctitatem, luxarent, pessum- que ferrent audaces novorum potentorum Parentes. Certè *Cartesiani*, uti *Vitichius in Consensu Cap. 29. §. 632.* malefanam suam palliaturi hypothesin, quâ Scripturam secundum

E

secundum

secundum erroneos vulgi conceptus loqui hiante eru-
 ctant ore, provocare gestiunt ad ἀνθρωποπάθειας, creden-
 tes quippe, hominum per allucinationes primum membra
 corporea, aliasque humanas proprietates DEO adscripta
 esse, mox verò Spiritum s. κακοζήλια quasi quadam hisce
 hominum erroribus se accommodasse, atque inde ocu-
 los, aures, brachium, manus, pedes, inde affectus, im-
 perfectionis labem continentes, dolorem, lætitiã
 pœnitentiã, iram DEI omnibus sacrarum literarum,
 paginis inculcari. Enim verò dexterrimè hocce *Cartesi-
 anorum* telum retudit *Joh. Brunsmannus in Gratia Natu-
 ra Interprete Lib. 3. Cap. 15. p. m. 142. sqq.* Recentissimè
Johann Clericus alio paulò modo optimas sollicitare occe-
 pit ἀνθρωποπάθειας, docere, Gentiles, ἀνθρωποφύες Numen
 veneratos, Lingva sua vernacula, quam Hebraicã esse
 profitetur, DEum, ut hominem, partibus, membris,
 proprietatibus humanis præditum, necessariò delineasse,
 postmodum verò, ubi populo DEI hebraica lingva in
 peculium cessit, à Scriptoribus sacris tales locutiones
 in imitationem tractas, ac retentas esse, Deoque ἀνθρω-
 ποπάθως pariter partes, membra, proprietates homi-
 num tribui, adeò ut propitia, si ipsum audis, veritate,
 bonæ ἀνθρωποπάθειαι Gentilismi anterioris rudera exi-
 stant ac vestigia. En fingendi libido!

§. II. Verum enim verò, quid distent æra
 lupinis dispiciamus, larvamque monstro detrahamus,
 necesse est. In id itaque omnes animi nervos intendere,
 animum induxi, ut συνθεῶν παλάμαι, ad oculum demon-
 strem, ἀνθρωποπάθειας minime omnium Gentilismo originem
 debere, atque vitam, aut, quod eodem recidit, easdem
 nullo modo pro vividis Gentilismi vestigiis agnoscendas esse.

Hoc

Hoc ut stadium velocibus decurram passibus, age, contemplare (I) *generalem omnium metaphorarum conditionem.* Sanè metaphoræ ambitu nil significatur nisi *tropus*, quæ vox quædam, quæ uni rei propriè competit, ad alteram ob similitudinem transfertur, ornatus ac illustrationis gratia. Exemplorum luce obscuritatis pellam noctem. Dulcissimus noster Servator *Luc. XIII. 32*, Herodis Antipæ, famigeratissimi illius Tetrarchæ (quod nomen juxta *Bernh. Lamy in Apparatu Geographico, subnexo Commentario in Harmon. 4, Evangelist. p. 293* talem designat, qui quartum in Imperio Romano dignitatis gradum obtinet, suffragante *Dicelio in Geograph. 8. Lib. 4. Cap. I quest. 6. p. m. 1635.*) mores vivis delineaturus coloribus, εἰπατε, inquit, τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ, *dicite vulpi isti.* Ecce Herodes audit *Vulpes* per Metaphoram. Vox enim *Vulpes*, quæ animali notissimo in genuina convenit significatione, transfertur ad *Herodem*, Magni Herodis Filium, ob similitudinem, quæ *Herodem* inter atque *Vulpem* intercedit. Sicuti enim *Vulpes* callida sua fraudulentia, fraudulentaque astutia aliorum animalium perniciem accelerare aptus natus est; Ita quoque *Herodes* vulpina verusutia clandestinas infidias struebat Christo, *Gallina per-vigili, Matth. XXIII. 27.* vid. *Franz Hist. Anim. P. I. Cap XVII. p. m. 145. sqq.* Interea *Lightfootus opp. Vol. II. p. m. 537. sq.* alludere existimat Salvatorem ad vulgare adagium, quod circumfertur *Megillah fol. 16 2.* תעלה בעיניה סגור לירה *Vulpem in tempore suo (Gloss. In prosperitate sua) adora*, ut sensus huc redeat: *Ast ite vos, & dicite huic vulpi, utcumque in prosperitate sua se volutanti, quod ego nunquam sum ei adolaturus, aut ab opere meo propter ejus formidinem cessaturus, sed ecce ejicio demonia.* Adesdum aliud exemplum

2 Sam: XXIII. 20. Dicitur *Benaja*, Filius *Jojada*, quem *Rex David* ad auditum suum posuit 2. Sam. XXIII. 23. h. e. *Consiliarium* constituit intima admissionis, exponente *B. Carpzovio* in *Disp. de Crethi & Plethi. Cap. II. Dissp. Acad. p. m. 196.*, quemque creavit praefectum super *Crethi & Plethi*, i. e. *Satellites*, 2. Sam. XX. 23., id quod late persequitur *Carpzov. l. c. Cap. IV. p. m. 212. sqq.*; Dicitur inquam is 2. Sam. XXIII. 20. percussisse מואב אריאל *duos Leones valentissimos Moabi*. Ecce sub *Leonū Moabi* schemate indigitantur secundum celeberrimorū Interpretum expositionem fortissimi *Moabitarum heroës*, cum *Leonibus* ob singularem animi virtutem, excellensq; corporis robur, collati. vid. *Bocharti Hieroric. P. I. lib. 3. Cap. 4 p. 757.* Non pigrabor integrū hic sed per insignem accersere *R. Abarbe. nelis* in *Comment. in h. l. fol. m. 182. coll. 1. 2. discursum.* ספר

שהיה השני מן השלשה הנזכרים האלה בניהו בן יהוידע שהיה בן איש חיל רב פעלים רל אדם מעולה וגבור חיל וגדול הפעולות כאלו היה הגבורה ירושה לו והיה מקבצאל בגורלו של יהודה וספר ממנו שלוש גבורות עצומות. האחרת שהכה את שני אריאל מואב ופירשו בו שהרג שני גבורים ממואב שהיו אריות בגבורותם ולזה קראם אריאל מלך מורכבת ארי ואל וכן הי' ירת תרין רבדכי מואב ורלבג כתב שאריאל הוג' מגדל ולזה נקרא בירת המקדש אריאל הוי אריאל קרית חנרת דוד וענינו שהמגדל והמבצר הוג' ארי חזק ואל יאמר על החזק כמו כחררי אל ולזה נקרא אריאל ואולי היו באותם המגדלים סמואב

ממואב וכבשם בגבורתו. הגבורה השנית שהכה ארם
הארי בתוך הכור כיום חשג ותתחברו בזה שלושה
דברים האחת הלחמו עם האריה הגבור שבחיות השני
היורה המלחמה בתוך הכור שלא היה מקום לבניהו
להתרחק ממנו ולצרו המקום היתה הסכנה יותר עצומה
השלישי שהיה ביום השלג שהיו ידיו ורגליו
בקור עצום ולא יוכל להלחם לתגבורת הקור מפאת
הזמן והמקום שהיו שם והקור הוא מונע הפעולות
החיוניות כמו שבה בטבעיות. והגבורה השלישית
שזכר מבניהו הוא שהכה איש שהיה ממראה וצורה
נפלאה ופרצוף כמו שזכר בדברי הימים והיה ביד
המצרי חנירת וירד עליו בניהו בשבת אחת קטן ובכוח
גבורתו לקח החנירת מיד המצרי ויהרגהו בחניתו
ועם היורה בניהו כוהן היה הורג ארם אויבי ה'
ולא היה זה אצלו טומאה כמו שמצינו זה בפנחס'

i. e. Memorat Scriptura, quod secundus ex tribus hisce recensitis fuerit
Benaja filius Jojada, qui satis est Viro strenuo, rebus gestis claro (1.
Chron. XI. 22.) h. e. homine per celebri, robore prestante, & magno re-
bus gestis, acsi fortitudo hereditatis loco ipsi cessisset. Veruntamen fuit
ex Kabzeel, in sorte Juda (Jos. XV. 21.). Prædicat itaq; Scriptura de illo
tres virtutes palmarias. Prima in hoc consistit, quod percussit duos
valentissimos Leones Moabi, id quod exponitur, trucidasse eum duos Heroas
Moabiticos, quippe qui fortitudine leonibus equiparandi erant. Atque
hinc eos vocat אריאל, voce conflata ex ארו leo, & אל DEUS. Ita
enim transfert Jonathan per duos Magnates Moabi, R. Levi Ben Ger-
schon autem scripsit, quod Arielis voce denotetur turris, quapropter
quoque domus sanctuarii audit Ariel (El. XXIX. 1.): ve Ariel, Ariel,
urbi, in qua David castra posuit. Sensus illius est, quod turris & mu-
nimentum sit Leo robustus; Vox vero אל, Deus, annectitur ad indigitan-
dum robur, quemadmodum fit (Ps. XXXVI. 7.): Sicut montes אל

E 3

DEI

DEI, h. e. altissimi. Ideirco turris dicitur Ariel. Et forte in illis turribus figura leonum fuere insculpta. Significatur igitur, quod Benaja percussit duas turres Moabiticas, illasque subjugaverit fortitudine sua. Secunda virtus fuit, quod percussit Leonem in medio fovee tempore nivis, qua in re tria concurrunt. PRIMUM est, quod pugnam instituerit cum leone, ferarum robustissimo. SECUNDUM, quod praelium inierit in medio fovee, ubi nullus Benaja locus fuit concessus ab eo recedendi, propter angustias quoque loci periculum istud majus extitit; TERTIUM quod esset tempore nivis, ubi manus atq; pedes frigus sentiunt vehemens, ut non possent pugnare ob vehementiam frigoris, respectu temporis & loci, ubi congressi sunt, cum frigus istiusmodi impediatur actiones vitales, veluti usu etiam venit in rebus naturalibus. TERTIA tandem virtus, qua memoratur de Benaja, fuit, quod percussit Virum Aegyptium, qui fuit aspectu & forma terribili, quemadmodum & legitur in libris Chronicorum (1. Chron. XI. 23.). Fuit quidem in manu Aegyptii hasta, sed descendit ad eum Benaja baculo quodam exiguo, imo viroboris sui sumisit hastam ex manu Aegyptii, percussitq; eum hasta ipsius. Licet vero Benaja sacerdos existeret, occidit tamen inimicos Domini, neque inde contraxit imperitiam, sicuti idem de Phinehaso Num. XXV. 7. 1. Aliud promam exemplum. Infideles Verbi divini Ministri audiunt Es. LVI. 10. כלבים חלמים *canes muti*, ob similitudinem. Quemadmodum enim *Canis* officium consistit in latrando, signumque dando; Unde Ovid. Fastor. Libr. 5. capit :

Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
 Stabat, qua standi cum L. re causa fuit?
 Servat uterque domum, Domino quoque fidus uterque,
 Compita grata Deo, compita grata cani.
 Exagitant & lar, & turba Diania fures;
 Pervigilantque Lares, pervigilantque Canes;

Ita vigiles verbi Praecones imminentes periculorum casus denunciare tenentur impiis. Quemadmodum vero irruente fure, *canis mutus* officio suo deesse judicatur; Ita quoque sive timidi sive ignavi Ministri verbi, imminen-

minentibus hæresium, peccatorumq; catervis, filentes, provinciæ concreditæ haudquaquam satisfaciunt, similes Canibus mutis, cum Galli olim Capitolium adscendissent, de quibus Livius Lib. V. Tanto, inquit, silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne Canes quidem sollicitum animal, ad nocturnos strepitus excitarent. Imò observat Saldenus in Otis Theol. Exerc. VII. p. 129. Esaiæ Pastores canes fortè mutos dictos esse, quod tacendo magis nocerent, quam loquendo; Ut enim Bactriani apud Curtium Lib. 7. ingeminabant, canem timidum vehementius latrare quam mordere, & Gallis in paræmiam abiit: Cave tibi à Cane muto, & ab aqua silente, cum muti Canes ex improvviso interdum viatorem adoriri, ac mordere soleant; Ita de falsis Doctõribus in Epistola ad Ephesios, quæ nomen fert Ignatii, legitur: Ἔσθε δὲ ὡς κύνες ἄλακτοι, λυσῶντες, λατρωδῆκται, quos oportet vos, tanquam feras declinare: sunt enim canes muti, non valentes latrare, quia clanculum mordent. Pariter summum Numen ob paratam ipsius, quam præstat, protectionem ac defensionem grato insignitur Clypei nomine, Ps. III. 4. כַּלְעֵי סָבִיבָה תָּהָה Tu es Clypeus circa me. Designatur autem clypeus corpus undiquaque ambiens, à rad. כָּלַל sepsit, texit, operuit, undè optimè subjicit Geierus in Comment. h. l. col. m. 38. : Petit David hanc metaphoram à re presenti militari, ubi non parum prodest contra ictus atque tela clypeus impenetrabilis. Talis verò protector est Deus contra hostes tam animæ, quam corporis; quo clypeo rectè solum uti novit fides. Idem nomen Deum manere legimus Ps. VII. 11. Ps. XXXIII. 20. Psalm LXXXIV. 10. Ps. LXXXIX. 19. Ceterum tradunt Judæi, scuto Davidis duplex insculptum fuisse triangulum, opposita ratione sibi mutuò implexum, cujus

cujus quatuor in utroque latere anguli singuli literas
 nominis יהוה, duo reliqui anguli, superius, & inferius
 duas nominis יה literas exhibuerint; spatio verò inter-
 medio vocem אלהא insertam fuisse docent, quæ per
 scriptiois compendium, hanc integram dicitur
 complecti sententiam: *Tu fortis es in aeternum Domine!* vel *אתה גבור לעולם אמן*
Tu es fortis in aeternum, Amen! Consule schematismum
*Schickhardi in præloem: Tarich p. 54, Wagenfeilii de Hydra-
 spide p. 15, Sauberti in Palaestr. p. 64., M. Dav. Theod. Leh-
 manni in disp. de Clypeo Davidis impr. §. XI. sqq. Adde B.
 Carpzov. Trost-und Reichen-Sprüche P. II. p. m. 1397. sq,*
 qui monet p. 1398, Judæos hoc Davidis scuto hodiernum
 ad restringenda incendia uti. Ob eandem, de qua sub-
 diti gloriantur, defensionem, Magnates quoque vocan-
 tur *Clypei terræ Ps. XLVII. 10.* Plura metaphorarum ex-
 empla in Bibliorum codice propinata, studiosè excussit
*Glassius Phil. S. p. 1117. sqq. 1182. sqq, & Flacius Clav. script. P.
 II. col. m. 341. sqq.* Tali quoque metaphorarum apparatu
 valdè delectantur Scriptores profani. Sic *Virgilius Eclog. I.*
 blanda quadam compellatione *Augustum* Cæsarem de-
 mulsurus, *DEI* ipsi cognomentum indit, canens; *ô Me-
 libæ DEUS nobis hæc etia fecit. Namque erit ille mihi Semper
 DEUS,* ubi *DEI* nomine Imperatorem, divinis instructum
 dotibus, depingere Poëta gestit. Nec minus *idem Eclog. 7.*
 jucundi veris amœnitates repræsentaturus, erumpit:
Omnia nunc vident, nunc formosissimus annus, metaphora
 mutuò sumptâ ab hominibus. Sicuti enim homo interi-
 ores cordis delicias exteriori risu prodit; ita vernantes
 agri, florum decore, graminumque viriditate super-
 bientes, homini ridenti existunt similes. Et quid multis
 Adeo

Adeò similitudinum istiusmodi invaluit gratia, ut *B. Dieric. in Instit. Rhetor. Lib. I. Cap. 9. p. m. 58.* hunc efformare canonem haud vereatur: *Nihil quicquam est in tota rerum universitate, undè non possit desumi metaphora.* Enim verò cui, quæso, fini hæc tam prolixo connectere placuit filo? Statim me expediam. Nempè αὐθροωπαίθα nil aliud nobis nisi *metaphoram*, qua voces, quæ creaturis, ac imprimis hominibus, propriè conveniunt, ad Deum ob similitudinem transferuntur, (Conf. supra *tmematel. §. I.*) sistere, extra dubitationis aleam positum est. Sicuti itaq; figuratus loqvendi modus, quem *metaphoram* nuncupare consuevimus, sub similitudinis cortice varias alicujus rei proprietates, virtutes, vitia, aliaq; exponit; ita quoq; αὐθροωπαίθα sub exteriori similitudinis specie egregias Dei atq; rerum divinarum amœnitates continere, nemo est, qui ambigere potest. Loqvar clarius. *Metaphora* atq; *similitudo contracta* pari ambulant passu. Sic quæ similitudo intercedit inter lupum rapacem, atqve fallum ecclesiæ Doctorem, ea contrahitur ad unam vocem *lupi rapacis Matth. VII. 15.* Hinc in omni cujusvis metaphoræ s. translationis explicatione comparent *res ipsa s. simile*, & postea *ejusdem applicatio*, e. g. *Joh. xv. 5.* veri Christiani audiunt κλήματα, *palmites*. Ecce simile, s. *res ipsa*! Sicut palmites à viti succum hauriunt atqve vigorem; En applicatio! Ita veri Christiani à Christo solatium, vitam, ac salutem fortiuntur æternam. Pari jam jure quælibet fruitur αὐθροωπαίθα. e. g. Deus nuncupatur *Joh. xv. 1. γεωργός, Agricola*, h. e. synechdochicè ἀμπελουργός, *Vinitor*. En simile! Vinitor vineam suam colere, vitibus eandem exornare, maceria præmunire adnititur. Sequitur explicatio! Ita Deus vineæ suæ, nem-

F

pè

pè ecclesiæ prospicit, vitibus, genuinis sc. Dei cultori-
 bus, ecclesiam decorat, præsidioq; suo divino cœtum
 huncce intimè dilectum instruit, donat. *Es. V. 2. sq. Matth.*
XX. I. sq. Quodsi itaqve *ἄνθρωποι ὡς θεοὶ* aliarum instar
 metaphoricarum locutionum in sanctam irreperunt
 Linguam, hac fini, ut claro quodam simili Deus cum
 suis proprietatibus, operationibusve intellectui nostro
 apprimè infinuetur, clareque proponatur, cur, amabo,
 confugeremus ad Gentilismum, quasi vanis idolorum,
 vel Numinis, humana præditi specie, adoratoribus tales
 flosculos acceptum ferre cogeremur? Ergone pari modo
 inferres. Herodes vulpis, Magnates leonum, Pastores
 infideles canum mutorum, Deus Clypei, Augustus Dei,
 veris svavitas risus ornatu circumscribi novimus. Ergò
 lepida olim capita Reges ac Magnates pro vulpibus ac
 leonibus in sylvis degentibus, Pastores pro Canibus qua-
 drupedibus, Deum pro clypeo militari agnoverunt, cuius
 rei vestigia in hisce similitudinibus supersunt? Ergò
 Poëta Augustum credidit Deum cœlos incolentem, suoq;
 nutu mundum regentem, prata cachinnum sustollere
 existimavit? Somnia ex eburnea porta!

§. III. Pedem promoveo (II.) ad parem illarum
ἄνθρωποι ὡς θεοὶ, quæ non ab homine, sed ab aliis creaturis de-
 sumptæ sunt, conditionem. In concessis sc. numero, quas-
 dam metaphoras DEO tributas, mutuò peti ab homine,
 quasdam ab aliis creaturis, quam divisionem, à *Glassio*
 quippe in *Philol.* p. 1117. sedulò inculcatam, eo minus alto
Clericus contemnet supercilio, quo majoribus, ob dili-
 genter excultam *τῶν ἀνθρώπων ὡς θεοὶ* doctrinam encomiis
Glassium ornare, prosequi gavisus est. Jam quousq; pa-
 rem parium rationem esse sana agnoscit ratio, eousque
 idem iudicium, quod de metaphoris Deo tributis, & ab aliis
 creaturis

creaturis desumptis, ferre cogimur, manebit quoque meta-
phoras Deo vindicatas, & ab hominibus derivatas. Quod si
itaque dictæ αὐτῶν πῶς ὁμοίᾳ ἀ creaturis, prater hominem, mutua-
te, minimè certam vetusti gentilismi memoriam con-
servant, nulloque planè modo de crassis Gentilium in con-
cipienda essentia divina, erroribus testantur, certè omni
absque teste illud de αὐτῶν πῶς ὁμοίᾳ ἀείας, ab hominibus dedu-
ctis, asseri, quilibet videt. Accingamus nos citra ulteri-
ores anfractus ad rem ipsam. Rex pietate con-
spicuis Regem Regum indefessis hisce fatigat precibus
Pf. XVII. 8. כַּל כַּנְפֵיךָ הַסְתִּירֵנִי sub umbra alarum tuarum
abscondas me. En! umbram alarum Altissimo adseribit Da-
vid, similitudine arrepta ab avibus, quæ sub alarum um-
bra refugium concedunt pullis, atque securitatem. Ala-
rum itaque involucro designatur incomparabile Dei in piis
fovendis, protegendisque studium. Appositè Hipponensium
Præsul, Augustinus, hocce dicto Anthropomorphitarum
copias feliciter profligavit, sequentia in eosdem tela vi-
brans, Epist. 3. ad Paulinam: Quæ de membris assidue Scri-
ptura commemorat, ne quisquam secundum carnis hujus for-
mam & figuram, nos esse crederet similes Deo; propterea ea-
dem & alas DEUM habere dixit, quas non utique nos habemus.
Nunc ades dum Clerice! Ergone etiam olim Gentiles
sibi imaginati sunt Numen aliquod alis præditum, ac
pennas late diducens, ut metu perculsi illic tuto ab im-
manibus immanium hostium procellis conquiescere que-
ant? Ergone stolidi hujus Gentilium commenti vestigium
haud obscurum remansit in hac Scripturæ de umbra ala-
rum divinarum locutione? Fungi certè citius calculum
adderent, quam homines! Qui itaque reliquis ab homini-
bis acceptis metaphoris hanc pergeres impingere dicam?
Pariter Messias Pf. XXII. 7. se ipsum abjecto Vermis nomi-
ne,

ne insignit *Psal. XXII. 7.* אִישׁ וְלֹא אִישׁ *Ego sum*
vermis, non autem Vir. *Aben Esra in Comment, ad h. l.*
Bibl. Ruxtorff, fol. השיי i. e. 716. col. 1. sequenti nos
 impertit commentatiuncula : רְחוֹק חוֹנֵה שִׂיאָמֶר
 אִישׁ דַּעַת עַל עֲצָמוֹ שֶׁאֵינְנוֹ אִישׁ רַק יִרְבֵּר כִּנְגַד הָאוֹיְבִים
 שֶׁהֵם יִבְזוּהוּ וְאֵינְנוֹ נֶחֱשֵׁב בְּעֵינֵיהֶם לְמֵאוֹמָה
i. e. longè petitum est, virum sapientem de se ipso dixisse, quod non sit
Vir, veruntamen loquitur respectu Inimicorum, quod illi eun-
dem aspernentur, atq; nihil quicquam in ipsorum oculis valeat.
 Enim verò loquens hic introducitur non *David*, sed *Messi-*
as, in profundissimæ exinanitionis statu constitutus, atq;
 interiori dulcedine, ex inhabitantis deitatis sensu obortâ,
 planè destitutus, *Math. XXVII. 46.* Quid mirum itaq; Ser-
 vatores, cum gravissimis inferni doloribus conflicta-
 tum, sub vermiculi vilissimi schemate miseriæ suæ api-
 ces exponere? Quid verò *vermis* nomine hic intelli-
 gatur, jucundè edisserit *Gussetius in Comment. Lingu. Ebr.*
p. m. 901. a: Pausanias in Phocicis rem apertè docet, ajens, na-
sci ex cocco vermem, ex cujus in fructu adhuc manentis san-
guine fiat lanorum tinctura, ut facilè intelligamus, cur color
coccineus à verme denominari potuerit. Conf. *Gejer. in Com-*
ment. h. l. col. 311. Accede jam Clerice, paucis te volo!
 Ergone pristini Ethnici Deum reputarunt pro contem-
 ptissimo vermiculo, ut indè velut ex fonte emanarit al-
 legatus Scripturæ fermo: *Sum vermis?* Cur igitur אֲנִי וְכָל
 אֲנָשִׁים Ethnicismi esse vestigia, plenis proclamas buccis?
 Nondum te dimittam! *Cornu salutis Deus dicitur 2. Sam.*
XXII. 3. Ps. XIX. 3. & Messias Salvator Luc. I. 69. Sicut cornua
 feras defendunt, & in illis robur earum exseritur, contra ad-
 versa, & inimica ejus; Sic DEUS fortissimus piorum defensor
 est. --- Verbo cornu robur ac potentiam (ut usurpatur *Pf.*
 LXXV.

LXXV. II. Ps. CXII. 9. Thren. II. 3.), verbo autem erigendi, solidum robur, & invictam ejus stabilitatem describit, contra quod ne inferorum quidem porta prevalebunt. Cornu salutis dicitur i. e. salutiferum, obtinens victoriam contra hostes, & afferens salutem captivis &c., imitor linguam doctiss. Glass. Phil. p. 1168 Ergone, Clerice! Gentiles olim cornu venerati sunt pro DEO, ut metaphora à cornu sumpta, ejus vesaniae existat vestigium? Apage Gentilismi tui vestigia! Similiter Messias salutatur cedrus illustris Ezech. XVII. 23., summum Numen nuncupatur Petra ac Arx Ps. XLIX. 3, diciturque rugire Joël. III. 21. Amos. I. 2, id quod proprie Leonibus competere nemo nescit. Ergone Ethnici eo processerunt dementiae, ut cedrum arborem, vel petram ac arcem, vel Leonem constituerint Deum suum, consequenter non contemnendum illius stultitiae indicium præbeat modo allegata translatio? Profecto qui non peponem gerit pro corde, sed æquâ totam rem judicii lance perpendere gestit, is confiteri cogetur, incredibilem Gentilismi stuporem metaphoras DEO tributas, sive ab homine, sive ab aliis creaturis mutuò fuerint sumptæ, non procreasse, sed alias planè subesse causas, quarum quendam prægustum in subsequenti- bus subministrare haud pigrabor. Pone enim, Clerice! nullis unquam universum terrarum orbem inquinatum fuisse idololatriæ, potuissentne homines, veri DEI cultores, paratam Altissimi defensionem grata sub similitudine, ab umbra alarum petita; invincibile Numinis præsidium sub accommodo schemate cornu salutis, Petra, ar- cisve; virtutem divinam, nunquam non pereantem, sub involucro cedri illustris; iram DEI intensissimam, sub rugitus vocabulo sibi ob oculos ponere? Quidni itaq; gemina ratione per animam, Deo tributam, ejus vita, intellectus, ac

voluntas, per faciem, manifestatio divina, per oculos, ejus exactissima notitia, providentiæq; promptissima, ut reliqua silentii peplo involvam, delineari quærent, etiam à pio mortalium agmine, quod Deum ut spiritum independentem, immensum ac infinitum pectore haud infucato veneratur, ac adoratur?

§. IV. Ceterum ne certo certius tibi cum Clerico perfradeas, originem τῶν αἰθρωποπαθεῶν ad fœdos Cananæos, eorumque detestandum de Numinis essentia, errorem, referendam esse, ne metaphoras hæc pro Gentilismi vestigiis audaci vendites ore, age (III) *varias alias causas, quare Scriptura tali verborum forma res divinas enunciet, percipe.* Has enim si curatè imbiberis, prior de Gentilismi vestigiis opinio tenues abibit in auras. *Causas autem alias Generales, Speciales alias conquirere fatagam.*

§. V. CAUSARUM GENERALIUM Imadubio procul consistit in *Ornatu ac illustratione.* Quis enim nescit, orationem jucundis superbientem allusionibus, vocibusque gaudentem metaphoricis, majori animum perfundere voluptate, quam ubi omnia in sensu nativo, ac simplici fluunt. Quid, quæso, fortius percellere poterat mentem, quam ille majestatis prægnans Davidis *Sermo Ps. xlii. 3.* יהוה סלעי ומצודתי ומפלטי, אלי צורי אחסה בו מגני וקרן ישעי טשגבי *Jehova petra mea, & propugnaculum meum, & liberator meus; Deus meus, rupes mea, ad quem me recipiam; clypeus meus, & cornu salutis meæ, editus locus meus.* Non penitebit audire hic haud postremam expositionem *R. Ben. Melech in Michlal Jophi h. l. fol. m. 167. col. 1.* סלעי כנה המבצר הגבוה לסלע לפי שרובם בכניו

בכנים על סלע והוא על דרך משל על דרך מגדל עוז שם
 יהוה: ומצודתי: ענינו מגדל גבוה וחזק: אלו צורי. כפר
 הענין במלות שונות כי האל נקרא כן לפי שהוא חזק
 ויכור: מגני וקרן ישעי. דרך המקרא לכנות החזק
 בקרן כמו וקרני ראם קרניו האיל בעל הקרנים לפי
 שהאיל והשור והראם חזקים בקרנותם שהם
 מנגחים בהם ואמר כי האל מגנו שיגן בשמו
 מאויביו והגן קרנו שינגח בו ויושע מהם:
 משגבי. כי הוי' לי כמו חמגדל והסלע שאשגב בו.

PETRA MEA) Cognominat Scriptura munimentum elatum, Pe-
 tram, quoniam plurima munimenta aedificantur super petram.
 Fit autem hocce metaphoricè, ad eum modum, quo legitur (Prov.
 XIX. 10.) *Turris robusta est nomen Jehova. ET PROPUGNA-
 CULUM MEUM*). Indigitatur turris alta & munita. *DEUS
 MEUS FORTIS, ET RUPES MEA*). Unum idemq; diversis ex-
 primitur vocibus. Deus enim vocatur ita, quia fortis ac potens
 existit. *CLYPEUS MEUS ET CORNU SALUTIS MEAE*).
 Fert consuetudo Scripturae, ut robur delineet voce cornu, quemad-
 modum videre est (Deut. XXXII. 17.): Cornua monocerotis duo
 cornua ejus sunt. Item (Dan. VIII. 6.) aries bicornis introdu-
 citur, quoniam aries & bos, & unicornu robusti sunt cornibus
 suis, quibus feriunt. Ostendit itaq; David, quod Deus clypeus
 ejus sit, quia protegit nomine suo ab inimicis suis, sit quoq; cor-
 nu ipsius, quo feriat hostes ipsius, salutemque praestet ab illis.
LOCUS EDITUS MEUS). Nam Deus est mihi instar turris &
 petrae, super quam extollar. Certè tanto Dei amore flagrat
 Vir secundum cor Dei, ut satis vocabulorum ipsi non vi-
 deatur suppetere, quibus multijuga, atq; numerosa beni-
 gnitatis divinae specimina dignè exprimat. Hinc mox
 petrae,

petra, i. e. munimenti in *petra* siti, mox *propugnaculi*, mox *Liberatoris*, mox *Dei fortis ac rudis*, (quæ certissimum ab insequentibus adversariis præbet asylum) mox *clypei*, mox *cornu salutis*, mox *editæ arcis* titulis ac cognomentis Auxiliatorem suum insignire studet. Quid? quod vel solum illustre hocce Psalmistæ dictum in fugam conjicere valet *Clericum dissert. I. Pentateucho præmiss. §. VI*, nescio quam inopiam vocabulorum, atq; phrasium Lingvæ Ebraicæ affricantem. Perpetuò, inquit, non eadem voces duntaxat, sed eadem locutiones etiam præsertim in Libris historicis occurrunt. Ergone unam eandemq; rem, præsidium nempè divinum, octo diversis vocibus in unico versiculo delineare novit David? Pœnas hinc *Clericus* dedit *Dn. Bergero* in *de Literatura Hebræe Copia & Libertate Diss. §. II.* Pari ratione elegantia sermonis consulitur, quando inæstimabilis beatorum felicitas cum corona contenditur *Apoc. II. 10. ἵνα πιστὸς ἕως θανάτου, καὶ δώσω σοὶ τὴν στέφανον τῆς ζωῆς, Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Respici videtur ad Athletas, quibus ritè pugnantibus præmii loco concedebatur *corona*, qualis Paulo *1. Cor. IX. 25.* audit *στέφανος φθαρτὸς*, *corona corruptibilis*, quia ex foliis, aut oleribus constabat. Huic coronæ corruptibili opponitur *στέφανος ἀφθαρτὸς*, *incorrupta corona*, *ἀμάρτυρον*, *immarcescibilis*, *1. Petr. V. 4.*, *ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος*, *Corona justitiæ* *2 Tim. IV. 8.* Atq; hæc *corona vitæ*, in complexu vitæ ac gloriæ cœlestis consistens, promittitur fideli ad mortem usq; Athletæ, qui enim *νομιμῶς* i. e. *juxta legem*, certaverit, coronatur *2 Tim. II. 5. conf. Dn. Schoepfferi Diss. de Locutionibus Pauli Gymnicis Prop. V. §. IX, p. 39 Adde Car. Paschallium de Coronis, Joh. And. Bosii Diss. de Coronarum gestatione, Joach. Jac. Maderi Tr. de Coronis, nuptiarum præsertim, sacris & profanis.* Oculos quæso, flectamus in *Esaiam*, & ornatu

& ornatu decenti Scripturam S: haudquaquam destitui
 τὴν ἀμφοῖν largiemur. Hinc Dn. Schudtius in Delicijs He-
 braeo-Philol. p. m. 13. Volvite, inquit, atq; revolvite centies à ca-
 pite ad calcem Demosthenem, Græcæ, vel Ciceronem, latinæ
 eloquentiæ Principes, istam tamen gravitatem, & verborum
 eloquentiam, istam rerum sublimitatem, & mysteriorum maje-
 statem nunquam offendetis, quæ in unico primo Esaia Capite
 est, ut de reliquis taceam, comparationibus ac similibus elegan-
 tissimis, exclamationibus gravissimis, interrogationibus acutis-
 simis, & omni ornatus genere id obsitum est, in cujus initio per
 apostrophen cælum, terramq; alloquitur. Equidem stylum
 Scripturæ sua sibi placere simplicitate benè novi, testi-
 monium perhibente Apostolo 2. Cor. I. 12.; sed hæc sim-
 plicitas nativum ac naturalem ornatum minimè excludit,
 sed opponitur saltem nimio, & undiquaq; conquesito
 luxui styli Scriptorum profanorum. Hinc utut alamo-
 dicæ conciones, h. e. quæ ad mores & genium delicatulorum,
 quibus mundus sapit, formantur, & pomposis phrasibus, pha-
 leratis verbis, oratoriis pigmentis infarciuntur, cum D. D.
 Fechtio de Virtutibus Orat. Eccles. Aphor. V. p. 11., rejiciat Sum-
 mè Rev. D. D. Grapius noster in Disp. de Concionibus artificio-
 sis & alamodicis §. XII. p. 27.; attamen schematicis Concionibus,
 quæ ornamentis gaudent Rhetoricis, nuncium mittere
 recusat l. c. §. XV. XVI. p. 29. 30. Ceterum id imprimis in-
 ter Scriptores sacros ac Oratores profanos intercedit discrimi-
 nis, ut illi non persvadeant, sed cogant quasi, vimq; ve-
 cordibus inferant, hi verò sola persvasione acquiescant
 1. Cor. II. 4. vid. Schudt. l. c. p. 97. sqq. Conf. quæ de diffe-
 rentia inter Oratoriam sacram & profanam monuere B. Gæ-
 belius in Methodo! Hom. p. m. 20. sqq. & D. D. Grapius l. c. §. III p. 9.

§. VI. SECUNDA CAUSA GENERALIS, quare
 Scriptura de DEO loqui amet αὐτῶν ὁμοίων, consistit
 G in

in accommodatione ad captum humanum. Nimis certè ab intellectus nostri capacitate remota sunt cœlestia, nimis sublimia captui nostro existunt divina. Si enim paulisper cogitationibus nostris essentiæ divinæ infinitatem attingimus, hem! quam immensum mare deprehendimus, necessitate adacti, ut cum Paulo *Rom. XI. 33.* exclamemus: *ô profundas divitias tum sapientiæ tum cognitionis divinæ!* Hinc tenuis intellectus nostri imbecillitatem benignissimum sublevare cupit Numen, symbolo dum nobis familiari, & rebus, ob oculos nostros collocatis, divinaram rerum sublimitatem proponit, exponit. Ipse Deus jubet Prophetam scribere *כחרט אנוש* stylo hominis, i. e. perspicua, vulgari, plana; ratione, quam vel infimi subfelli homo facili negotio queat assequi *Es. VIII. 1.* Nil enim moror in verecundum planè *Huetii* commentum, arbitrati in *in demonstrat. Evang. prop. VII. §. XV. p. m. 595,* libro grandi, uxorem, stylo hominis, eam partem, quæ honestè nominari non potest, indigitari, mandatum autem scriptionis involvere jussum, ut Propheta Filium cum uxore procreet. Sed castas profectò aures *Episcopus Abrincensis* lædit, dignè eapropter exceptus à *Witasio Miscell. sacr. Vol. I. Lib. I. Cap. 13. p. m. 98.* Conf. *D. D. Læschorum de Causis Lingvæ Ebr. Lib. 3. Cap. 4. §. 6. p. m. 465. sq. & Disput. meam de Pleonasmō 2. Class. II. §. XVII. p. 70.* Quomodo autem felicius stylo vulgari Spiritus S. uteretur, atq; ad captus nostri tenuitatem se demitteret, quam ubi sub rerum humanarum ac mundanarum similitudine sublimia inculcat mysteria. Rectè *Dionysius de Hierarchia Lib. I,* & *Damasceus de Orthodoxa fide Lib. I. Cap. 14.* metaphoras ab hominibus desumptas de DEO rebusq; divinis adhiberi docent, quod *mortales & crassa circumdati carne, divinas immaterialesq; res non facile intelligamus*

telligamus, nisi adhibitis signis & figuris parvitati nostra con-
sentaneis, atque Cyrillus Cap. XII. de Trinitate, fieri id ait, ut
ex nostris ea, quae supra nos sunt, discamus, quomodo men-
tem eorum effert Dn. Brunsmann. de Nat. Grat. Interpret.
Lib. 3. Cap. XV. p. 144. Appositè etiam Procopius in Cap. III.
Es. ἀνθρώποις, inquit, ἔστιν αὐτῶν πίνωσ ἡ γραφή ἀλαλέγῃ i. e.
Quia homines sumus, humano more Scriptura nobis loquitur.
Nec minus optimè Nicephorus Lib. XI. Hist. Cap. 14 apud
Gerhard, Exeg. LL. CC. Loc. II. §. 117. p. m. 259. erumpit
Divini Numinis operibus humanarum partium vocabula tri-
buit Scriptura S., quandoquidem eo modo, qui res sublimiores
percipere nequeunt, facilius Dei consilium intelligunt. Her-
bam quoque porrigunt B. Schomer. in Colleg. Controv. p. m. 27.
fin., B. Brunsmann. l. c. p. 143, B. Meisner, Phil. Sobr. P. II. Sect. I.
Cap. I. Quest. II. p. m. 15. Cel. Dn. Seb. Edzardus in disp.
Utrum Nomen Elohim à profano Canaanæorum errore originem
ducat §. X, Stockmann in Elucid. Heres. p. 51, Kromayer, Theol.
pos. P. II. p. 39. sq. qui p. 40. rectè subjungit: Θεοπειθῶσ i. e.
Deo convenienter hæc sunt accipienda, ita ut per oculos omni-
scientia, per aures clementia, vel juvandi promptitudo, per os
voluntatis communicatio, per manus omnipotentia, per pedes
omnipresencia significetur. Unde dicimus: Deus totus oculus
est, quia omnia videt, totus manus est, quia omnia operatur,
totus pes est, quia ubique est. Exemplorum farragine res, in
solis disco posita, non indiget. Ἐκ εὐεξίας tamen provo-
care collibet ad Es. XLIX. 16. על כפיים הקותיך. Ecce su-
pra utramque manum sculpsi te. Deus immortalis! quanta
bonitatis divinæ, ad captum se nostrum accommodantis,
hic latitant thesauri. Perpetuam sui erga nos curam
perspicuo profectò illustrat simili. Annon enim quæ
exteriori manuum superficie inserta sunt, recenti tene-
mus memoria? Itaque itaque Deus erga nos animatus est,
ut

ut nos quasi manui utriq; insculptos perpetuo ante oculos gerat. Adhibetur verbum קקח, quod insculpendi significatu gaudet, quemadmodum v. g. aliquid petrae inciditur E. XXII. 16. *Supra manus* autem suos DEUS insculptos gestat, ut eo facilius in visum illabantur; imò *supra utramque manum*, ut infallibilis DEI providentia clarissime ostendatur. Auscultemus magnum Theod. Dassovium Diss. I. de emphasi sacrarum vocum ex veteri historia Hebraeorum repetenda, Commat. III. §. I. p. 11: Hæc loquendi ratio perpetuam innuit rei memoriam. Nam quorum reminisci perpetim volebant Judæi veteres, ea signabant in manibus. Solebant autem effigiare manus in charta, & iis calculos dierum, mensium, annorum & noviluniorum inscribere, ut qualis annus, an embolymus, vel alius esset, de quo quærebatur, luculenter intelligerent. Cujusmodi manus duæ dexteræ æri incisa reperiuntur in Mardochai Faphe Sepher Lebhusch Malcutb Tom. I. fol. 155. col. I. Præterea ut Judæi reminiscerentur benedictionis, quæ sacerdotali illis manu conferebatur, solebant singulis manus articulis inscribere illam benedictionem solennem, Num. VI. descriptam. Cum enim illa benedictio quindecim constet vocibus, quatuordecim voces quatuordecim inscribebantur digitorum articulis, & decima quinta vox inscribebatur vola manus, cuiusmodi manum delineavit Schephtel Horovitz &c. Subjungam Abarbenelis Comment. ad h. l. fol. m. 75. col. 1. meditationes לפי שרר בני אדם כשירצו לזכור דבר מיוחד ושלם ישכחוהו ושימו סימנים על אצבעותיהם או יכתבו על ידים הדברים שירצו לזכרם לכן ברכו יתברך בלשון בני אדם אמר הן על כפיהם חקותיהן וגו' וכפיהם הונת כפשוטו והענין הנמשך הו' Quoniam consuetudo hominum fert, ut quando certe cujusdam rei recordari volunt, eandemq; oblivioni tradere nolunt, signa indere digitis, aut manibus inscribere soleant res istas, quas memoria servare cupiunt; ideo dum DEUS benedictus loquitur אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ, inquit: Ecce super manus sculpsi te &c. Vox autem: manus, accipienda est vulgari sensu, sed sensus est metaphoricus. Consentit Ben Melech in Michlal Jophi fol. 103. col. 4. על כפיהם כמשמעו מלשון קק

כף ופרושו כאלו על כפיהם חקיתוך שאראה אותך
תמיד וכן פירשו הראב"ע וכן תרגום יונתן

Voces על כפיהם sumenda sunt secundum literalem sensum, ex singulari כף. Interpretatio autem huc redit: quasi super manus sculpsissem te, ut contuear te continuo. Ita explicarunt R. Aben Esra. Ita transtulit Jonathan. Jonathanis autem translatio ita habet: *הנה כרעל ידיו את צירתי קרמי* Ecce quasi in manibus tu signatus es coram me. Paulò à Textu abludunt LXX: *ἰδοὺ ἐνώπιόν μου εἰ δὴ διὰ πάντων*. Ecce super manus meas depinxi tuos muros, & coram me es semper.

§. VII. Pollicitus sum §. IV. causas quoque speciales. Speciales autem nuncupo, quæ non omnibus in genere metaphoris, sed peculiari modo τὰς ἀνθρώπων ἰσχυρίας competunt. PRIMA ergo causa specialis constituenda jure videtur in declaratione intensissimi amoris divini erga genus humanum. Certè ludere cœlestis Pater prægestit cum filiis suis immorigeris, Prov. IIX, 31. Hinc jucundis rerum mundanarum ac humanarum figuris invisibilem ac incomprehensibilem majestatem divinam notam reddere adnititur. Nonne abundantia paterni affectus, quo mundani Parentes in filios feruntur dilectos, adscribi meretur, quando ij cum natis suis blandum instituunt lusum, atque aliud quasi agendo, sub amœnis rerum notarum imaginibus doctrinas instillant mellifluas. Qui itaque de supremi Parentis singulari ambigeremus caritate, quando is rerum mundanarum nobisque omnibus perspectarum imaginibus utitur, ad nos informandum, admonendum, terrendum, solatioque perfundendum. Unico in præsentis exemplo, obscuritati, si quæ est, omni medebor. Dictum ita fuit Hos. XI.

8. אֵיךְ אֶתְנֶךָ כְּאַדָּמָה אֲשׁוּמֶךָ כְּצִבְאוֹיִם נִהְפֶךָ עָלַי לְכִי יַחַד
Quomodo disponere deberem te sicut Adama;
constituere te tenerer instar Zebhoim. Versat se in me cor meum,
pariter conturbantur pœnitentia mea (i.e. viscera pœniten-
 tia commota). En ! exæstuanes benevolentia divinae
 flammæ prorumpunt. Hinc contendit Deus populum
 Israëliticum cum incolis *Adama & Zebhoim*, nequitia
 illis magistris, peccato, ipsi naturæ inimico, delectatis
Jud. v 7., unde ne decem quidem universæ multitudini
 immisti erant *justi, Genes. XII. 32.* Quemadmodum
 itaq; Israëlitæ *Sodomitarum, Amorrhæorum*, atq; vicina-
 rum Gentium civitates, *Adama ac Zebhoim*, incolentium
Gen. XIV. 2. 8., imitabantur flagitia *Es. I. 10*; ita pares
 quoque pœnarum procellæ eosdem manere necessum
 erat, ut igne cœlitus immisso exederentur, *Gen XIX. 25.*
Deut. XXIX. 23. At enim verò Pater cœlestis miseri-
 cordia illorum tactus, hem ! quam elegantes hu-
 manorum affectuum adhibet figuras. *Versat se, inquit,*
in me cor meum, Luth. *Mein Herz ist anders Sinnes / &*
 porro : *perturbantur viscera pœnitentia commota*, quæ phra-
 sis de vehementissimo amoris gradu usurpatur, vi cu-
 jus omnia quasi ilia, atque viscera commoventur, atq;
 ordinariis suis sedibus ejiciuntur, *Gen. XLIII. 30. I. Reg. III.*
26. vid. Ravanell. Biblioth. S. Tom. II. p. m. 1470. b. Pote-
 rantne Israëlitæ ex pervulgato hocce simili infallibi-
 le de extrema DEI in illos benevolentia ferre judicium?
 Tenor interim totius metaphoræ huc redit: Sicut ho-
 mo intima alterius flagrans benevolentia eidem suc-
 currere in deliciis habet; Ita Altissimus amore nostrum
 intensissimo abreptus, non supplicia immittere, sed
 beneficiis certare cupit. conf. *Job. Schmid. Comment. in h. l.*
p. m. 401. sqq. Neque existimes, paria amoris divini
 docu-

documenta non elucere, quando sub rerum mundanarū similitudine v. g. *ursi, leonis &c.* horrendas minatur animadversiones. Imò ego penitus contrarium mihi persuadeo, quia cunctæ istiusmodi minæ eum intendunt scopum, ut viator aberrans ex aviis revocetur in viam.

§. IIX. SECUNDA CAUSA, quare tam frequentibus Scriptura delectatur metaphoris, ab hominibus, aliisque creaturis desumptis, consistit in *manifestatione admiranda, ut ita loquar, humilitatis divinæ.* Quis non raperetur in admirationem, infinitum Numen ne vilissimarum quidem rerum aspernari symbola? Quis non obstupesceret, imensum Deum finitarum creaturarum quasi cancellis circumscribi? Mox *capitis Eph. I. 22. Cap. IV. 15. Col. I. 18.,* mox *oculorum Ps. XI. 4. Job. XXXIV. 21. mox aurium Ps. X. 17. Ps. XXXI. 3. mox nasus Deut. XXXIII. 10., mox dextra Ps. LXXVII. 11., mox cordis Gen. VI. 6., mox affectuum, tristitia Gen. VI. 6. pœnitentiæ 1 Sam. XV. 11. 35, mox actionum humanarum, ignorantia Matth. VII. 23, recordationis Gen. IX. 1., oblivionis Ps. XIII. 2. mentionem fieri?, imò Deum proponi ut *ignem, Deut. IV. 24. Cap. XXXII. 22. ut lucernam, 2. Sam. XXII. 29,* & sic porrò. Prolixum horum catalogum contexit sæpè laudatus *Glass. Phil. S. p. III 7. sqq.* Itane appositè exclamat Psalmista *Ps. CXIII. 5. 6. Quis (est) sicut Jehova Deus noster, altissimè habitans, demissimè respiciens in cœlum & terram? Itane jure Rex Regum ייב benignus Ps. C. 5. Thren III. 25. audit? Conf. verba Origenis supra Tmem. I. p. 9. Eleva oculos homo, nam juxta Ovid. lib. I. Metam.**

os homini sublime dedit cœlumq, tueri,

Eleva, inquam, oculos & fixis cœlestem Patrem contemplare obtutibus, quo sic fastui tuo turpissimo valedicas, & secundum sanctissimi Entis exemplar, singulas

gulas tuas componere discas actiones ! Certè elegantis-
sima ratione humilitatem commendat Petrus I *Petr. V. 5* :
ἐγκομβώσαθε τὴν ταπεινοφροσύνην , induimini humilitate .
κόμβωμα enim significat *ornamentum, vestitum*. Hinc κόμ-
βώσαθαι *Hesychius* interpretatur per *εὐλοιοῦσθαι, vestire se,*
vel *vestiri*. Hinc descendit verbum *ἐγκομβώσαθαι, intus*
ornari. Germanice potest efferri : *Schmücket euch in-*
wendig mit der Demuth. Petrus nempe adolescentes
sequenti impertit monito, ut, cum in vestium luxu suam
sæpè prodant vanitatem, de vero ornatu, ac interiori
veste, humilitate sc., sollicitos se præbeant. vid. *Pasor*
Lex, Græc. N. T. p. 393. Ceterum obiter de erectæ statu-
ræ humanæ præstantia consule, sis, *Joh. Rajum in The*
Wisdom of God Manifested in the Worcks of the Creation,
p. 151, sqq.

§. IX. CAUSAM TERTIAM SPECIALEM
collocare placet in *Convenientia descriptionis divinæ cum*
ejusdem apparitione, sivè ut qualiscunqve concordia com-
pareret inter descriptionem DEI, & ejusdem exterior-
rem manifestationem. Quem enim latet, Angelum
in creatum, Filium DEI, oculis se objecisse conspici-
endum in forma *Viri*, *Gen. XIIX. 2. 3. coll. v. 13. 17.* quic-
quid contrasentiat *Clericus in Comment. ad h. l. p. 135. ratus,*
vix satis decere, ut summo Numini humana assuatur species,
vid. tamen *B. Pfeiffer. Dub. vexat p. 121.* Quem fugit, assum-
fisse olim Messiam *Ducis armati speciem Jos. V. 3.?* Quis
ignorat, apparuisse DEUM in figura *Senis grandævi, Dan.*
VII. 9.? Quis nescit, repræsentasse se Altissimum instar
celsissimi *Regis*, throno gloriæ insidentis, *Es. VI. 1. sqq.* Si-
cuti itaq; uti §. VI. evictum, locutionibus, à conditione
humana petitis, imbecillitatis nostræ rationem habuit
Spiritus S., accommodando se clementissimè ad ege-
num

num nostrum captum; Ita in his formis externis Deus succurrere voluit infirmitati nostra, quia de Deo non nisi humano more loqui & cogitare possumus, verbis utor B. Balduini in Casibus Consc. Lib. II. Cap. II. Cas. I. p. m. 76, qui ib. quoque DEUM ut hominem absq; peccato, dum preces fundimus, vel cogitationes nostras ad cœlum alias dirigimus, concipi posse, clarè edocet, secus ac placet delicato Calvinianorum palato, qui peculiarem de DEO conceptum formare amant in effigie *radiorum solarium*, cum inscripto nomine *Jehova*. Ceterum quando quæstio proponitur, annon DEI imago sive per picturam sive sculpturam exhiberi licite possit? affirmativæ sententiæ rectè adstipulantur nostrates Theologi, hoc permotivæ rationis pondere, quia ipse DEUS in specie humana hominibus sese manifestans, picturam hancce comprobavit, licet negativam quasi pro aris ac focis defendere omnem lapidem moveant Reformati, uti *Spinaeus in Tr. de Consolando agrotis p. 284*, *Wendelinus Lib. 2. Theol. Christ. Cap. IV. th. XI. §. 3.* alii. conf. *DD. Fechtii nostri Colleg. privatiss. in König. MSC. Loc. de DEO §. 7.*

§. X. QUARTAM CAUSAM SPECIALEM consistere puto in *haud proleteria providentia divina demonstratione*, sive ut sacræ paginæ singularum rerum curam vel hoc indicio Altissimo vendicarent. Sicuti enim vilissimarum rerum symbola summum Numen haudquaquam repudiare §. IIX. vivis ostendimus testimoniis; ita sagax ingenium indè facili colligere habebat negotio, ne abjectissimas quidem res susq; deq; haberi, adeo ut *passerum quoque Matth. X. 29. 30.* *liliorum agræ Matth. VI. 28. 30.* *bovum 1. Cor. IX. 9.* curam Creator gerat. Conf. *D. D. Rechenberg. Diss. de providentia DEI circa minima*, quicquid in contrarium deliret *Seneca Lib. II. Nat. Q. Cap.*

32., cujus tamen patrociniū fuscipit *Fort. Schacchus Eleo-
chrismat. Myrothec. I. Cap. 38. Col: 152., Senecam ex Augurum
solum sententia loqui, existimans; quicquid somnient
Epicuræi, pariter atq; Deistæ, quorum vigilantum somnia
jam enarrare adlaboravi in Diss. cui tit. Lux in tenebris oriens
per expositionem Oraculi Hoseani de Deo Israël perditore Sect.
3. § XIX. p. 46. Adde Bajer. Theol. Histor. p. 169. sqq. Et fal-
lor, aut per *ὁ θεὸς ὁπταῖς ἄνθρωπος* Dei Optimi Maximi providen-
tiam nobis ob oculos poni, innuit Augustinus super Psalm.
XXXVI. scribens: *Deus totus oculus est, quia omnia videt,
totus manus est, quia omnia operatur, totus pes est, quia ubique
presens est.**

§. XI. Enim verò annon forte ea quoque fini
metaphoris istiusmodi, quas *ὁ θεὸς ὁπταῖς ἄνθρωπος* salutat tri-
um literarum tyrannus, adeò frequenter sanctæ utun-
tur paginæ, ut indifferentissimo, atqve promiscuæ de re-
bus fidei sentiendi licentiæ, latas aperiant fenestras?
Occasionem inepti hujus *ζητήματα* nobis subministrat
Autor der Ungarischen und Sevennischen Unruhe p. 57, se-
quentes dubiorum fluctus ciens: So werden Uns auch
die Göttl. Geheimnisse in H. Schrift per condescenden-
tiam *ὁ θεὸς ὁπταῖς ἄνθρωπος* vorgestellet. Wie nun alles / was
uns in Bildern und Gleichnissen vorgestellet wird / in
einem tertio comparationis von uns muß begriffen wet-
den; da es ja nicht woll möglich ist / daß ein anderer eine
an sich ohn dem unbegreifliche Sache eben so / und sub
eodem tertio begriffen könne; wird also wenn man die
Sache reifflich erweget, eine durchgängige Gleichheit
der Meinungen woll nicht zu hoffen / noch zu prætendiren
seyn. At subnectam exascitatum *Aut. der unschuld. Nachr.*
an. 1724 p. 432. iudicium, sequenti incedens modo: Die Ab-
sicht dieses Discurses ist zu erweisen / daß es mit der Ortho-
doxie

doxie und einig wahren Lehre nichts sey / sondern jed em
 seine wunderliche Glaubens Meinungen müssen frey ge-
 lassen werden / man könne indessen doch im Geist einig
 seyn. Dis sollen obige Worte erweisen ; Da den zuför-
 derst falsch ist / daß alle Göttl. Geheimnisse *ἀποκρυφισμῶν*
 vorgestellet werden / und muß zuförderst unter Menschl.
 Wörtern und concepten ein Unterscheid gemacht wer-
 den ; jene allein machen keine *ἀποκρυφισμῶν* , dergleichen
 sich gar nicht findet bey den Glaubens-Articulis / Gott
 hat einen Sohn von Ewigkeit gezeuget / es sind drey
 Göttl. Personen / Gott suchet aller Menschen Seeligkeit
 ernstlich. Ferner ist es gar wohl möglich / daß alle Men-
 schen auch in solchen Glaubens - Puncten / die durch
 Gleichnisse vorgestellet werden / idem tertium compa-
 rationis fassen / wenn nemlich dasselbige / und kein anders
 in Gottes Wort vorgeschlagen wird. Ja solches præ-
 tendiret eben Gott in seinem Wort / wann wir die Sache
 rechtlicher erwegen / und verwirft diejenigen / die ausser
 seinem Worte andere tertia comparationis suchen.

§. XII. Porro vestigia Gentilismi, in profano
 Clerici cerebro enata, expirent, necesse est, si (IV.) utro-
 que oculo contuemur omnigenam Ebraea Lingva sanctitatem.
 Verba pro me faciat excellentiss. DD. V. E. Loescherus de
 Causis Lingv. Ebr. Lib. 3. c. 4. §. I. p. m. 460. sq.: Sanctitas Ebraea
 Lingve in eo elucescit, quod vocabulis & phrasibus, idololatriam sa-
 pientibus, quales apud Græcos sunt *μᾶ τὸν Δία*, *Βαχχέω* &c. apud
 Latinos *adepol*, *mecaston*, omnino immunis sit. Quare, si quæ voces
 matris Linguarum initio fuere innocentes, postmodum vero ab idolola-
 tris orientalibus in corruptum sensum sunt tractæ, eas Ebraei vel abolitas
 esse jusserunt, ut vocem *בַּל* ; vel addito caractere ita usurparunt, ut
 detestatio idololatrici abusus liquido constaret. Vox Baal innocens ini-
 tio fuit, cum vero à Phœniciis ad idola traheretur, non planè quidem
 inter Hebræos perit, sæpe tamen cum voce *בַּל* ignominia, signan-
 ter

ter permutata est. Gideon dicebatur Ferub-Baal, h. e. cum Baalis idolo rixans, idem Fereb-beschet audit 2. Sam. IX. 10. Esch-Baal, Jonathanis filius, h. e. idoli consumtor, vocabatur etiam Mephiboschet, comestor dedecoris; Eundem in modum Rabbinī גרייהו idolum fortuna vocabant גליוני, ne sanctæ Lingvæ vocabulum ad idololatrias turpitudines impiè adhiberetur. Hæc ille. Tantum itaq; abest, ut ἀνθρώπων θεῶν, si Gentilismi forent vestigia, æquo Spiritus S. tolerasset animo, ut potius ex augustis Hebraismi finibus easdem penitus exulare jussisset. conf. Steph. Morini Exerc. I. de Lingvæ primæva Cap. XI. p. 74.

§. XIII. Et (V.) posito, sed in æternum non concesso, si vel maximè Lingvæ Hebræa ante Abrahami adventum inter Cananæos viguisset, DEUS tamen sanctissimus, qui se ipsum ab idolis, & peculium suum à Gentilibus infinitis distingvi volebat parasanguis, neutiqvam tolerasset splendida pristini Gentilismi, atqve inveterati erroris vestigia, in idiomate hocce, quo verbum suum consignandum erat, ne sic Hæraëlitæ, ad omnem idololatriam peculiari quasi naturæ instinctu pronissimi, hisce ipsis residuis Ethnicismi rudibus ad Gentilium transfirent castra. Nonne DEUS os. II. 16. 17. valde abominabatur nomen Baal, neq; juxta vers. 19. בעלי maritus meus, sed איש vir meus, salutare præoptabat, ex nulla alia ratione, quam quia appellatio illa idolis facta fuerat familiaris? Quidni pari ratione omnia detestatus esset Gentilismi vestigia? Quidni ἀνθρώπων θεῶν omnes ex sacra Scripturæ pomceriis proscripsisset, si illæ ex Cananæorum idololatria natales duxissent? conf. Seldenum de Diis syris syntagm. II. Cap. I. p. m. 194. sqq.

§. XIV. Sed neq; id (VI) sicco planè prætereundum est pede, Clerici ratiocinium infirmo planè niti tibi-
cine:

cine: Lingva Ebraica scetet *ἡ ἑβραϊκή γλῶσσα*, Gentili-
 smum redolentibus: E. laudata lingua ethnicam agnoscit
 originem, E. ante Abrahami in regionem hancce adven-
 tum ut Cananæorum vernacula viguit. Quid, quæso,
 enim impediret, quo minus idioma quoddam, ipsa ve-
 tustate vetustius, ipsa puritate purius, iniqui temporis
 successu, labem aliquam contrahat haud postremam?
 Quid, obsecro, obstaret, quo minus lingua ad ipsum pa-
 radisum natales referens, postmodum phrasas dictionesq;
 Gentilismi foeditatem sapientes, in sui assumat con-
 fortium? Nonne Judæorum scripta Græcis referta
 sunt vocibus, ut maximo hinc tædio hodierni Judæi, *Soha-*
rem, aliosq; vetustos Libros legentes, afficiantur, cum græ-
 carum literarum notitia non sint præculi? Exhibet
 autem Liber *Sohar Commentarium* in 5q; libros Mosis pla-
 nè Cabbalisticum, cujus Autor perhibetur R. *Schimeon*.
 vid. *Buxtorff. de Abbreviaturis Hebræorum* p. m. 200, *Biblio-*
thec. Rabbin. p. m. 55. sqq. & *Pfeifferum in Theol. Jud. Exerc.*
II. p. m. 122. Nonne originem Græcam agnoscunt voces,
 hinc indè in scriniis Judæorum occurrentes, v. g. פומבי
πομπή, *spectaculum*, פונדק פאנדוכειον, *diversorium*, פורנה
πόρνη, *meretrix*, אמפורין, ἔμποροι, *mercatores*, פרקליט
πρόκλητος, *Advocatus*, קטיגור קατηγορ, *accusator*, quas
 ultimas voces ita *Maimonides* interpretatur: פרקליט הוא
 המליץ טוב על האדם למלך קטיגור הוא חפץ זה והוא
 המליץ רע על האדם למלך ומשתדל להמיתו i. e. *Peraklit di-*
citur, qui interpellat in bonum pro homine aliquo apud Regem,
cujus contrarium est Kator. Is enim iraducit ali-
 quem apud Regem & conatur occidere eum. vid. *Fagium*
in Pirke Avoth, apud *Surenhusium in Systemate ju-*
ris Ebraeorum P. IV. pag. 456. Sexcentas alias mitto.

H3

Qvis

Quis autem nisi naris plane obesæ asserere sustineret, vetusta Judæorum monumenta primitus græco sermone composita esse? *Romani* quam multa Græcis debeant, vel lippis atq; tonsoribus constat. *Tiberius* quidem Imperator, narrante *Tranquillo de Cæsaribus lib. 3. Cap. 71.*, à sermone sibi græco in Senatu temperavit, veniam, ubi *monopolii* mentionem injiciebat, petens, imò ἐμβλημα ex quodam Patrum decreto exterminari cupiens, censensq; vel latinam substituendam esse vocem, vel syrma vocabulorum adhibendum. Sed tam delicato palato forsan pauci gaudent. Quis verò tantarum reus fieret ineptiarum, ut inde antiquitatis majoris palmam Latinis deferret. Quam multis hodie Gallorum vocibus Germani utuntur, an inde primas deferre auderes gallicæ lingvæ? Hoc autem argumentum jam aliquot ante annos haud ineleganter persecutus est *Dn. Seb. Edzardi in Diss. Utrum nomen Elohim à profano Cananæorum errore originem traxerit §. III*, qui tandem rivos suos claudit, h. m. Potuit Hebræa Lingua primis Parentibus in usu esse, potuit ad seros transmitti nepotes, antequam phrascs illæ, quæ Ethnicorum sacra sapiunt, nascerentur, de Lingua agitur, non de paucis loquendi formis. Has si mihi demonstraverit Autor, non renuam, quo minus posteriores Ethnicorum sacris dicantur Nihil tamen propterea ipsius Lingua antiquitati decedet.

§. XV. Hactenus αὐτὸν πᾶσι δόξας non esse Gentilismi ac Cananææ originis vestigia, contra Clericum tuitifumus, sicque plausibilem ipsius, de qua adeò gloriabatur, rationem pro iniqua sententia de Lingvâ Hebræica, Cananæis ante Abrahami in terram Canaan adventum vernaculâ, satis jugulavimus. Aggrediamur jam paucis ipsam arcem, pro cujus defensione Clericus tot milites præfidiarios conscribit, tot copias auxiliares conquirat. Expugnemus inquam palmariam Clerici hypothefin

thesin, huc abeuntem, quod *Lingua Hebraica sit Cananæa*. Hujus enim si falsitatem in publicam protraxerimus lucem, nemo amplius funiculos ex arena necti, ambiget, si variè conquisito lenocinio innocuæ metaphora ab hominum conditione ad Deum applicatæ, pro vestigiis Cananææ originis absq̄ve fronte venditentur. Quæso itaq; , obtutum fige impios in *Cananaeos*. Patriis illi sedibus exturbarant Semitas, terramq̄ve hæreditario Jure ad Semi posteros pertinentem, suam sub potestatem armata redegerant manu, quâ de re differui supra *sect. 7. §. 14.* Sed justus rerum Arbiter hanc Semitis illatam violentiam justo prosequeretur odio, dignam Chami progeniem æstimans, cujus nulla planè misericordia tangerentur Israëlita, patrium iterum solum occupaturi. Hinc qui severo alias mandato inimicos jubet diligere, Matth. V. 44., vatinianum hic commendat odium, cædes atrocissimas, totalem deletionem injungit, affinitatis consuetudine populo suo severissimè interdicit, altaria, Deorum nullius pretij cultui consecrata, dirui, statuas atq̄ve imagines comminui, lucos igne absumi, omnem Cananæorum memoriam sepeliri vult. Ne verò gratis hæc dixisse videar, allegabo ipsius Spiritus S. verba, omni exceptione majora, *Deut. VII. 1. 2. 3. 4. 5.* quæ ex versione *B. Seb. Schmidii* ita sonant: *Cum introduxerit te Jehova Deus tuus, in terram, ad quam venies ad possidendum eam, & excusseris Gentes magnas coram te; Chitteaum sc. & Girsaschaum, & Emoraum, & Cananaum, & Perisem, & Chivveum, & Jebuseum, septem Gentes magnas, & numerosiores te. Dederitq; eos Jehova, Deus tuus, coram te, ut percutias eos: non (enim) excides cum iis fœdus, neq; misereberis eorum: Neque affinitatem contrahes cum illis, & filiam illius non accipies filio tuo. Ideo quod seducturus sit Filium tuum a post me, ut serviat Diis aliis: quomodo exardescet ira Jehova contra vos, & perdet te cito. Verum sic facietis illis: altaria eorum destruetis, & statuas*
eorum

eorum

eorum confringetis, ad lucos eorum succidatis atq; sculptilia eorum comburetis igne. Aliã adhuc peremptoriam ipsius justi iudicis sententiam in scenam producere placet ex *Deut. XX. 16. 17. 18.* hoc modo juxta *B. Schmidium* se habentem; De urbibus populatorum horum, quos *Jehova Deus tuus daturus tibi (in) hereditatem, non vivificabis ullam animam: Sed devovendo devovebis eos, sc. Chittæum, & Emoræum, Cananæum, & Perisæum, Chivvæum, & Jebusæum, quemadmodum præcepit tibi Jehova Deus tuus. Ut non doceant vos facere juxta omnes abominaciones ipsorum, quos fecerunt Dijs suis. (vos) autem peccetis Jehova, Deo vestro.* *Conf. B. Schomeri Collez. Anti-Socin. Cap. XV. quest. V. p. 185.* Ades dum jam, atq; dic, an probabile sit, Deum Linguã impiæ gentis Cananiticæ, à cuius consortio tam graviter dehortatus est populum suum, τὰ ἑβραϊκὰ αὐτῶν, eloquia sua humano generi communicaturum fuisse? Porro *Asdodæi*, gens notissima, pro *Cananæis* haberi solent, *Philistææ* quippe propaginis, nihilominus linguam *Asdodæam* à *Judaica* sive *Ebræa* immane quantum differre edocemur *Nehem. XIII. 23. 24.* quandoquidem *Filiorum* pars, ex peregrinis prognati uxori-
ribus, loquebantur Aschdodicè, & non noverant loqui Judaicè. Quid? quod si *Lingva Hebraica Cananæis* extitisset vernacula, an *DEUS* essentiale suum ac pretiosissimum nomen, nulli communicandum creaturæ, *Ps. LXXXIII. 19.*, ex illa elegisset. Nunquam ad id credendum inducor, cum vel memoriam nominis *Deorum peregrinorum* prohibeat, *Exod. XXIII. 13.* His sequens *DD. Læscherus de Causis Lingvæ Ebr. Lib. I. Cap. 3. §. X. p. 29.* superaddit argumentum: *Supersunt in ipso Codice S. voces Cananæe quamplurimæ, quæ cum Ebræo idiomate nihil commercij habent, quales sunt Pichol, Aschdod, & Chira viri nomen, Gen: XXXIIX. 1. tum Og & alia ab Hebraismo ab-*
ludentia

Eqvidem magna contra nos militant nomina. Magnus Sam. Bochartus *Geograph. S. part: poster. Lib. 2. cap. 1. col. 699* phœnicium sermonem hebraico fuisse valdè affinem, operosè comprobare nititur, ita tamen, ut diverfitatem aliqualem, qvalis duas inter unius Lingvæ dialectos intercedere solet, haud invitus largiatur, scribens *col. 701: Non tamen contenderim, Chananæorum dialectum in omnibus cum Hebraica convenisse, cum inter ipsos Hebræos varia fuerint Dialecti.* Idem littus appellit *Briam. Waltonus Prolegom. 3. fol. 12.* Et fallor, aut idem intendit *Dn. Hillerus in Onomastic: P. I. p. 589. sqq.* Contra *Petrus Dan. Huetius in Demonstrat: Evang: prop: IV. p. m. 283. sqq.* *Louis Elies du Pin dans la dissertation preliminaire ou prolegomenes sur la Bible Tom. I. Cap. IV, Clericus dissert. I. Pentateuch: præmissa §. V. aliique lingvam ebraicam & cananæam plenè planèqve coincidere autumant, ut quæ initio Cananæorum inserviebat usibus, postmodum in Abrahami, judæorumqve cederet peculium. Enim verò autoritatibus autoritates opponimus, nempè Stephan. Morini Exercitationes de Lingva primæva Exerc. I. Cap. XI. p. 68. sqq. Fulleri Miscellanea S. Lib. 4. cap. 4. p. 417., Buxtorff. dissert. 3. quest. I. p. 114. sqq Pfeiffer Critic. S. cap 3. quest. 3. p. 43., DD. Læschner, l. c. p. 28. sqq. Adde Pezronum in dissert: de Lingva ebraea, connexa Libr. de inventione literarum, quem inter proximè edendos numerat Autor der monatli. Auszüge an. 1702. mense Decembr. p. 85.*

§. XVI. Interim reliqua speciosa Clerici arma, quibus is ebræam lingvam throno movere, eamqve Canananæorum Genti tanquam vernaculam vendicare contendit, paulisper perlustrare, non erit dividia. Ita autem *lc. §. V. infit: Postquam ostendimus, neque primæ-*
3
vam

vam videri Linguam Hebraicam, neque in familia Heberæ
 conservatam, neque Abrahami vernaculam fuisse, ubi in usu
 fuerit, quærendum superest. Ut quod videtur, pace viro-
 rum doctissimorum, aliter cum Judæis sentientium, dicam;
 Chananaam fuisse, eamq; Abrahami posteros inter Jordanem
 & mare mediterraneum didicisse, non eò ex Chaldaea intulisse
 existimo. Neque ea in opinione quicquam absonum, licet
 attentè & diligenter animo versata, deprehendere potuisse
 me profiteor. Homo Chaldeus cum familia solum vertit, Eu-
 phrateque & Jordane trajectis, per Chananaam centum annis
 vagatur, cum veteribus colonis fœdera facit, maximas ea in re-
 gione comparat divitias, pellices ducit, liberos gignit, summa
 est inter Chananeos existimatione ac gratia, adeoque inter
 eos frequenter versatur; mirumne videri cuiquam possit, &
 ipsum vernacule suæ affinem linguam discere, & universam
 familiam Chananeorum sermonem sonare? Adde Jsaaci to-
 tam vitam, & Jacobi ætatis maximam partem illic actam esse,
 liberosq; utriusq; eodem in solo educatos, atque hinc uxores du-
 xisse; mirum contra esset, servatam fuisse Chaldaicam Linguam,
 nedum ut Chananaam ei genti vernaculam factam esse mire-
 mur. Enim verò nondum receptui canimus, neque
 arma turpiter abjicimus. Non vacat quidem in præ-
 senti examini subicere precariam ipsius hypothesein §. II.
 propinatam: neq; Hebraicam neq; Chaldaicam, neq; Arabi-
 cam aut ullam aliam Orientis linguam eam ipsam haberi posse,
 qua usus sit Adamus, sed aliam, quæ perierit, quippe quæ tractu
 temporis & dispersione humani generis in varias dialectos orien-
 talium linguarum distracta fuerit, & memoratas linguas, ali-
 asq; affines ex se genuerit. Interim debitum Lingvæ he-
 braicæ æstimum, quippe cui primævæ antiquitatis glo-
 ria debetur, asserere studuerunt *Wasmuth in Vindic. P. I.*

p. 79. Buxtorff. *Dissertat. I. p. 21. sqq.* Bochartus *Geograph. S. P. I., cui nomen Phaleg. Lib. I. Cap. XV p. 50. sqq.* Fullerus *Miscell. Lib. IV. Cap. IV. p. 418. sqq.* Pfeifferus *Crit. S. p. m. 33. sqq.* Majus in *Dissertationibus Sacr. p. m. 332. sqq.* DD. Læscherus de *Causis Lingvæ Ebr. Lib. I. Cap. 3. p. 16 sqq.* & M. Ernst. *Christ. Schrödterus Diss. de Lingua Prima.* Neque moror pollicem Clerico premere D. Joh. Sam. Stryckium in *Diss. de Reliquiis sacramenti in Causis matrimonialibus p. 78,* & D. Gundlingium in *Historia Philosoph. Moral. P. I. p. 11.*; Porrò & id intactum relinquere hâc vice cogor, *Hebræam linguam in familia Eberi non esse conservatam,* id quod Clericus §. III. incrustare fatagit. vid. tamen Morin. de *Lingv. primæv. Exerc. I. Cap. IX. p. 54. sqq.* Buxtorff. *dissert. II. p. 113. sqq.* & Dn. Læscherum *l. c. lib. I. cap. V. §. 3. p. 53. sqq.* Tandem quoque assertionem: *Ebræam linguam Abrahamo non fuisse vernaculam,* uti Clericus persuasus est §. IV, absque proluxa disquisitione dimittere necessum habeo, licet falsitas illius opinionis inde facile dispalescat, quod Abraham vocetur עברי quasi *Eberinus,* ab *Ebero,* quoniam post Eberum ebræam linguam cum vero DEI cultu conservavit. vid: Morin. *l. c. Exerc. I. Cap. X. p. 65.* Bocharti *Geograph. S. P. I. lib. 2. Cap. 14. col. 93. B. Pfeiffer Dub. vex. p. m. 95 sq.* Læscher. *l. c.* Interim posito, Clericum ne latum quidem ungvem â veritatis tramite discedere, quando is *Abrahamum* ut Chaldæum, Chaldaicâq; lingua usum, intrepidè introducit; profectò operosa argumentorum farragine nusquam evincetur, universam Patris fidelium familiam Cananæorum sermonem sonasse, ita ut Chaldaicæ linguæ nulla remansisset memoria.

J 2

quoq;

quoque conversatus est cum *Philistæis Gen. XII. 10. Cap. XX. 1. Cap. XXI. 34. ?* Nonne fœdus pepigit cum Rege Gerar *Gen. XXI. 27. ?* Nonne maxima inter Philistæos existimatione ac gratia fuit *Gen. XX. 14. Cap. XXI. 22.* An verò propterea patriæ statim valedixit linguæ, atque Philistæorum idioma adscivit? Imò *sedes perpetuò mutabat Abraham, seq̄ peregrinum profitebatur, cui nunquam non incumberebat necessitas è Cananæa emigrandi (tale enim Numinis mandatum singulis momentis exspectandum erat).* Quare ratione destitutum fuisse sapientissimum Virorum crederet, qui tali rerum facie, abjecta prorsus vernacula, Cananæam cum omni familia adoptasse linguam affirmaret, recito verba *D. D. Læscheri de Causis Lingu. Ebr. Lib. I. Cap. 3. §. 2. p. 19.* Cum Deus Abrahamum, relicta patriâ, alienas petere juberet oras, ea fine dubio voluntatem suam manifestavit lingua, quam Abraham callebat. An verò putas, DEUM postmodum, ubi Pater fidelium in regione Canaan sedem suam fixerat, alio animi sensu expressisse sermone, priori idiomate exulare jussio? Et cur Abraham servo suo intimæ admissionis, Eliezero, Damasceno, uti communiter credunt cum *Ravanello Biblioth. Sacræ Tom. I p. m. 18. a.,* in mandatis, solenni exacto juramento, dedit, ne Filio, Isaaco, ex Cananæorum progenie uxorem duceret, *Gen. XXIV. 2. sqq. ?* Cur *Isaacus & Rebecca* tam amaro affligebantur mœrore, ob Esavi cum Chittæorum Filiabus contractas nuptias, *Gen. XXVII. 46.,* si tam arctum Abrahamum, ejusque posteros inter ac Cananitas intercessisset amicitia vinculum, ut illi neglecta lingua patriâ, Cananæorum deperiissent sermonem. Subnectit *N. Fullerus Miscell. S. L. b. IV. Cap. 4. p. 424.*

Qv̄s

Qui vel ipsius sepultura cum Gentibus idololatriæ consorti-
um penitus abnuit, eo magis universum sermonis commerci-
um haud dubiè respuisset, quo plus hoc, quam illud pietati no-
cere potuisset. Lubentes quidem, Abrahamum, fili-
osq; notitiam sibi cananæi idiomatis, ut mutuo invi-
cem frui possent colloquio, comparasse, annuimus; sed
propterea omnem omninò vernaculæ consuetudinem
oblivioni traditam, abjectam, relictam esse, etiam
quandò Abrahami Filii Filiæque inter se confabulati
sunt, constanter inficias imus. Et nonne Israëlita-
rum natio calida in Ægypti fornace secula exegit in-
tegra. vid. *Dn. Deylingij Observation. S. P. I. Observ. XI.*
p. m. 38. /qq., nec tamen, captivi licet, patriam relegarunt,
atq; ex conventibus suis, exesse jusserunt linguam,
adeò ut hebræarum mentio injiciatur mulierum
Exod. I. 19., atq; celebratissimus Moses non Ægyptiacè
sed Hebraicè divina consignavit volumina. Conf.
Dn. Seb. Edzardi Diss. Utrum Nomen Elohim à profano Cana-
neorum errore originem traxerit §. IIX. Quî itaq; *Abra-*
ham, verus DEI Cultor, in gratiam pessimorum carci-
nomatum, *Cananeis* puta, avitum statim abdicasset ser-
monem? Mirum proindè esset, si non fuisset serva-
ta Chaldaica lingua. Quia verò *Abraham* cum po-
steritate semper Ebræo delectatus est idiomate, haud
obscurum id indicium præbere, quilibet, nisi qui in me-
ridie cupit cæcutire, videt, quod is non nisi hebraicam
linguam, jure hæreditario ad ipsum devolutam, in
terram Canaan intulerit, excoluerit, atq; ad seros us-
que nepotes propagarit.

§. XVII. Sed pergunt Criticus noster: *Itaq; pa-*
rum verosimilis est eorum sententia, qui putant, Israëlitæ
Linguam

linguam à Cananea diversam esse locutos. Ac sanè disertè
 Esaias linguam Canaanis Hebraeorum sermonem appellat,
 C. XIX. 18: In die illo, inquit, erunt quing³ urbes, in Ægyptia tero
 ra, quæ loquentur labium Chanaanis, quod est perindè ac,
 Linguam Chanaanis, ut ostendimus Cap. XI. 1. Enim verò
 bona verba, quæso! Nam minimè insignitur Ebraica
 lingvæ Canaanis nomine, quod genti Cananae post lin-
 guarum confusionem vernacula fuerit, sed quod in terra
 Cananea, cum ea ab Hebrais occupata esset, usitata, benè
 monente B. Pfeiffer. Critic. S. p. m. 44. eum in modum,
 quo Israelitæ dicti sunt Phœnices, non quod Canaan, Cham
 filium, & juxta Eusebium prepar. Evang. lib. 2. Cap. X. p. 39,
 primum Phœnicem agnoscerent Parentem, sed quod essent
 nati, & aliquandiu enutriti in illa regione, quæ à dicto Ca-
 naan, Cananea sive Phœnicia nominata erat, observan-
 te P. Texelio in Phœni. e viso & audito Lib. 3. Cap. I. §. 10.
 p. 176. Alio modo nodum incidere tentat Læsch. l. c.
 §. XIV. p. 33. sqq. ratus, labium Canaanis non notare
 linguam, sed id quod Cananæis istorum temporum
 cum primis in ore erat, nempe recordationem DEI
 Israëlitarum, & cultum, qui eidem exhibebatur. conf.
 Fullerus. l. c. p. 425. sq.

§. XIIII. Paucis interjectis orationis filum
 Nofter ulterius pertexere studet his verbis: Primum
 Hebraismi in Lingua Chananeorum argumentum, idemq³
 validissimum ex nominibus locorum, & Virorum, quæ merè
 hebraica sunt, derivatur. Vir doctissimus N. Fullerus
 Miscell. lib. 4. cap. 4, qui contrariam sententiam acriter
 tuetur, utut nomina illa universa purè Hebræa sint, tamen
 nullum ex iis vel Chananeorum fuisse, vel à Chananeis imposi-
 tum pernegat. Quin potius vetusta ab indigenis Chananeis
 indita nomina, ab Hebrais in easdem sedes succedentibus,
 hebræo

hebraico more postmodum prolata & exposita fuisse contendi. Quod si verum esset, non posset sanè ex antediluvianis nominibus ullum pro lingua Hebraica antiquitate duci argumentum; quod tamen concedere nollet Fullerus, uti nec alii ejusdem sententiae Patroni. Sed somnium sanè hoc est, cujus in libris sacris nec vola nec vestigium; & quamvis certè nomina nonnulla aliquatenus ad Hebraorum sonum inflexa fuissent, ut solet in diversis dialectis fieri, quis credat in omnibus factum, & Moesen aut Josuam ne verbulo quidem monuisse, omnia mutata à se nomina, antequam Chanaanæa potirentur Israëlitæ? Cum hoc per se incredibile planè sit, & sine exemplo; duo alia falsum prorsus esse ostendunt. Unum est, Moesen & Josuam mutatorum nominum quorundam meminisse, quo manifestum fit, singulare, urbibus nonnullis, non omnibus commune id fuisse, vid. Gen. XIII. 18. & quæ ad eum locum annotavimus. it. Num. XXXII. 38, & Jos. XV. 13 14 XIX 47. Alterum non modo occupatarum urbium ab Israëlitis nomina esse Hebraica, sed etiam vicinarum, quas non subegerunt, ut Gaza עזה, Asdod אשרוד, Gath, גת, Hekron עקרון, Ascalon אשקלון; quæ Philistæorum fuere; Tyrus צור, Sidon צידון, Sarepta צרפתה. &c. At vero (1) admiratio mentem subit meam, quare Criticus noster jam cum Bocharto Canaan. lib. 2 Cap. I. c. 699; tam audacter ad nomina Locorum & Virorum provocet, ex appellationibus hebraicis, in terra Canaan obtinentibus, linguam quoque hebraicam ibidem viguisse, propugnaturus, cum tamen aliàs tantum fannis non excipiat illam Philologorum catervam, quæ ex nominibus & etymologiis Hebraicis, ante confusionem Babylonicam florentibus, colligit, ab ipsis indè mundi incunabulis Hebræorum invaluisse idioma. vid. Diss. I. pentateuch. præmiss. §. 2.

Si

Si autem, uti *Clericus* ibidem sibi blanditur, nomina istiusmodi propria à posteris immutata sunt, cur non geminâ ratione succedentes postmodum Israëlitæ nomina propria à Cananæis imposita, hebraico more efferre potuerunt? Sic ergo *Clericus* proprio se jugulat gladio! (2) Etiam si cum *Fullero* vetusta ab indigenis *Cananæis* indita nomina, ab *Hebræis*, locum illorum occupantibus, ebraico more exposita fuisse, asseveremus, robur tamen argumenti, ex antediluvianis nominibus pro lingvæ hebraicæ antiquitate ducti, haudquaquam eliditur. *Aliud* enim est, statuere, Mosen, Scriptorem, proprio ausu antiqua nomina propria Virorum & urbium immutasse, *Aliud* verò, defendere, ipsos succedentes incolas odio Cananæorum compulsos, pristinarum loco appellationum, alias substituisse. *Prius* perperam à *Clerico* adstrui constanter putamus, inde concludentes, illi lingvæ, quæ clavem primævorum nominum exhibet, palmam primæ antiquitatis debere. conf. *Dr. Maji dissertationes* S. p. 334. *Posterius* ita simpliciter à recta veritatis amussi recedere dici nequit, cum exemplo quodam *Fullerus* etiam l. c. p. 427. assertioni suæ fidem facere adlaboret, scribens: *Jegar Sahadutha Gen. XXXI. 47. proprium est montis cujusdam in terra Israëlitica nomen; proprium ejusdem quoque est Galed, atque idem omninò sonat; ita ut qui utrumvis rectè norit, ambo noverit. Illud duntaxat interest, quod illud à Labane Syro, syriacè primum est impositum, hoc à Jacobo Hebræo, hebraicè deindè expositum.* (3) Felicissimè autem omnia, quæ recta in nos vibrat, tela, evitabimus, si vestigiis

stigiis

stigiis institerimus DD. Læscheri de Causis L. H. p. 29, inq̄vientis: Nomina propria quamplurima ex iis, quæ ante confusionem Babelicam extiterunt, à Cananæis, alijsq̄ retenta, etsi linguam amiserint, existimamus; sicut latina nomina & græca inter plebejos nostrates plurima supersunt; neq̄ enim quemvis in confusione ista sui nominis oblitum credere fas est. Locorum verò cognomenta plurima sine dubio à Semo, ejusque familia, alijsque Patriarchis in Palestina olim habitantibus, data sunt, quæ Moses lubentius longè, quam Cananea usurpat. Multa, etiam dubio procul peraffinia Ebræis nomina Cananæi habuerunt, ut inter Danos Svecosq̄ quamplurima sunt germanicis proxima, quæ, etsi leviter, una forsitan litera, aut vocali à Mosaicis differentia, Moses, cum non adeò à suis remota ac Ægyptiaca vel Persica essent, ebræa pronuntiatione velut originaria expressit; rectè quidem & eodem jure, quo Italarum, Hispanorum, Gallorumq̄ propria nomina à Latinis orta latinè historia nostra enunciat. Hæc Vir doctissimus! Interea plurima supersunt Cananæis frequentata nomina, quæ ex Hebræorum fontibus vel planè non, vel minimum difficulter saltem derivari queunt, uti ad oculum patet ex vocibus *Baschan* Conf. Hilleri Onom. p. 114. 761. *Pharan*, conf. Hiller. l. c. p. 114. 477. 908., alijsque (4) Imò quæso te, cui auctoritatis fascinum oculorum non præstringit aciem. An firmo hæc consequentia substitit talo: Cananæorum idioma congerie quadam vocum, cum Hebraismo amicè conspirantium, abundat. E. fivè cananæam fivè hebraicam linguam nominas, unam eandemq̄ nominas, Geminò alias insurgere liceret

K

ret

ret argumento : *Affyriorum*, ac *Chaldaorum* lingua infinitis gaudet Deum hominumq; & locorum nominibus, ad hebraicas accedentibus origines. E. Assyriaca, Chaldaica, ac Hebraica unam eandemque efficiunt linguam. Sic ipsum *Affyria* nomen אשור Gen. X. 22. vel אשור Hof. XIII. 7. hebraicè *gressum*, vel *incessum* denotat. *Semiramis*, Reginae vocabulum designat idem ac שמיא ארמית *Semo-Aramaam*, quæ sc. genus retulit ad *Aramum*, Semi Filium. Chaldaeorum Babel natum videtur ex בבל i. e. in eâ sc. urbe confudit Deus Gen. XI. 9. Ur Chasdim Gen. XI. 28. ebraicos agnoscit natales, nam Ur Scriptura ignem, & Chaldaeos vocat *Chasdim*, à lucro vel multitudine. vid. prolixè Hiller. l. c. p. 593. Jam verò Hebraicam & Chaldaicam ut duas diversas, cognatas quamlibet, differre lingvas vel ex eo liquet, quia *Ebraei* & *Chaldaei* se invicem non intellexerunt loquentes. 2. Reg. XVI. 26. 27. Dan. I. 4. vid. Dn. Pfeiffer. Critic. S. p. m. 52. (r) Hieronymus in Jerem. Lib. 5. cap. 25. linguam Cananaeam medio loco Hebraeam inter & Ægyptiam constituit, ex parte solum Hebraeae affinem. Cur adeò simpliciter huic Patris asserto denegaremus fidem, quem illarum rerum probè conscium accepimus?

§. XIX. Cristas ulterius Noster effert sequentē in modum : *Secundum argumentum Chananaea originis in Lingua hebraica, inde deducitur, quod cum Scriptores sacri ἐπὶ ἑγγύωστος esse vicinorum populorum aliquot testentur, de Chananeis nihil simile legatur. De Chaldaeis non semel observatum ante vidimus. Ægyptij populus Ἰβὶ Λοβηζ, dicuntur Ps. CXIV. 1. h. e. barbarus; & erat interpretres*

75

serpres inter fratres & Josephum, Ægyptium se esse simu-
lantem, Gen. XLII. 23. Vid: & Ps. LXXXI. 6. At cum
Chananaeis cum multa egerint Hebraei, ab Abrahamo ad
Josnam, nunquam mentio fit interpretis. Responde-
 tur (1) Dum Clericus, aliquot saltem populos ut
ἰνεργλώσους introduci, confitetur, tacitè omninò
 ipse nobis acrem porrigit mucronem, jugulo ejus
 maximè infestum. Ergone enim sic nonnullæ gen-
 tes, diversa licet lingua utentes, prætermittuntur,
 quo minus ut *ἰνεργλώστοι* describantur? Et
 si hoc. Annon tunc harum classi accenseri quoque im-
 puri queunt Cananitæ? Vide Vir doctissime, in
 quemnam labyrinthum te ipsum conjicias! (2) Dubio
 procul Interpretis sublidio hebræi, cum Ca-
 nanæis agentes, non eguerunt, quia Cananæorum
 idioma, quotidiano edocti usu, calluerunt. Cada-
 ver verò intruderis consequentiæ, argumentatus:
Laban & Jacob sine interprete collocuti sunt. E-
 eandem agnoverunt vernaculam linguam, cujus con-
 trarium sole clarius elucet ex *Gen. XXXI. 7.* Pharao
 & Abraham, sine interprete sermones invicem
 miscuerunt, *Gen. XII. 18.* E. lingua Hebræa & Ægyptia
 planè coincidunt? Ejice itaq; Clerice, consequentiæ
 tuæ cadaver! (3) A silentio Scripturæ ad rei negati-
 onem ulla absq; circumspectione colligere, est men-
 tis suæ prodere morbum. Multisne egregiis
 Christus inclaruit factis, quorum sacræ paginæ nul-
 lam injiciunt mentionem *Job. XXI, 25.* Quidsi ergò
 Interpretem Cananæos inter & Hebræos munere
 suo functum dicamus. An turpis nos erroris postu-
lare

lare jure poteris, licet in Scripturis altum eade re agatur silentium, ? Minimè gentium!

§. XX. *Tertium*, progreditur Noster, nascitur ex ipso Interpretis usu, quem adhibuit Josephus; si enim sola Jacobi familia hebraicè loquebatur, undè Interpretem nancisci Josephus potuisset? Certè oportuisset Servum esse fugitivum qui facile & Josephum & Fratres agnovisset. Levis profecto armaturæ objectio, funiculos nectens ex arena! Promachum nostrum agat D. D. Læscherus in sæpè citato libro p. 35. Fuere dubio procul præter Abramidas alii quoque Eberis posteris in Chaldaea, Assyria & Aramaea, qui primævum idioma conservarunt, cujus rei in Jobi libro vestigium non unum superest. Potuit etiam Interpres Josephi Cananaeorum lingua uti, Jacobi filiis, inter istos degentibus, non ignota.

§. XXI. *Quartum*, ita porrò instat Clericus, derivavit S. Bochartus ex Phœnicia Lingua reliquiis, quas puras putas hebraicas esse in secundo Chanaanis sui libro prolixè ostendit. Respondeo (1.) Etiam si morosè refragari nolim, Phœnicios five ortos esse ex Cananæis, id quod Bochartus in Phaleg. Lib. 4. Cap. 34. col. 300 omnibus intentis nervis probare satagit, cui ὄμιον φωνίξ est Fullerus Miscell. S. Lib. 4. Cap. 4. p. 417; five ipsissimos esse Cananæos, ubi existimat Texelius in Phœnice Viso & audito Lib. 3. Cap. I. §. 9. p. 172 (mirò quodam derivationis anfractu ex כנען deducens φωνίξ) à quo non abludit prælaudatus D. D. Læsch. l. c. p. 35. sqq. Adde B. Dorschaum in Comment. in Matth. XV. p. m. 249. & Poli Synops. Vol. IV. p. m. 381, quicquid in contrarium spectabili

etabili

stabili argumentorum apparatu sentiat *Morinus Exercit. XII. de Lingua primæva p. 96. sqq.*; Nihilominus tamen ipse *Bochartus* indè non nisi amicam Linguas inter hebraicam & cananæam cognationem inferre gestit, uti ostendimus *supra §. XV. (2.)* Istiusmodi reliquæ, quotquot etiam illarum coacervaveris, nihil aliud, nisi hoc arguunt, remansisse post confusionem Babylonicam pristina quædam vocabula, atque aliqualem linguam inter Hebræam ac Cananæam intercessisse affinitatem, id quod inficias ire non sustinemus. *Conf. §. XIX.* Minimè verò novaturienti Clerici opinioni aliquod indè enascitur præsidium, hebræam nempe linguam pro una eademque cum Cananæa habendam esse, nisi chaldaicum quoque idioma cum hebraico penitus coincidere, ex vocabulorum convenientia evincere cupias. Ceterum omnia hic perreptare vepreta, atque in singulas me immittere minutias, scopus præfixus haudquam patitur.

§. XXII. Tandem, ne aliquid pro deformi sententia comendâ omittat, ebuccinare Noster, haud veretur Gentilismi vestigia, quæ inter inani prorsus ausu collocat partim vocem Elohim, in plurali numero de Uno in essentia DEO usurpatam; partim innocuas *אֱלֹהִים*. Enim verò prioris objectionis nervum jam incidit *Dn. Seb. Edzardus*, vid. *Præfat. in fin.* Posterius autem portentum in præsentis proseripsimus dissertatione.

Nihil

Nihil igitur superest, nisi ut supremo ac auxiliari Numini sacrificia laudum ac gratiarum actionis devoto ex pectore offeramus pro præstito benignissimo ipsius auxilio. Tibi alme DEUS porrò tenuia mea studia commendo. Faxis æterne Pater! quo singuli mei conatus vergant in sempiternam ineffabilis Tui Nominis gloriam, ac perpetuum Ecclesiæ emolumentum!

Κείσθω σωφρονιστῶν, κλείσθω δ' ἄπιστα βίβηλοι
 Canam (Cecini) prudentibus, profani claudite fores.

ΘΕΛΟΣ.

EMENDANDA.

p. 8. l. 16. pro: thmema, lege: *temema*. p. 20. l. 21. pro: errores, lege: *erroris*. p. 24. l. 1. pro: Baiilius, lege: *Bailius*. p. 29. l. 21, pro: Pecronum, lege: *Pezronum*. p. 30. l. 11., & alibi pro: αἰθρωπαίθεις lege: *αἰθρωπαίθειαι* p. 41. l. 7. lege: *αἰθρωπαίθειαι*. p. 52. l. 22. pro: 777, lege: 777. p. 68. l. 1. post vocem *Cum*, infere: *Egyptiis ac &c.*



coll. diss. A. 92, misc. 8